DE
DEORUM MINISTERIIS
IN PHARSALIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

MAURICE SOURIAU

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET CIE

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1885

MAGISTRO SUO

G. BOISSIER

HOC OPUS DEDICABAT

M. SOURIAU

4722. — Bourloton. — Imprimeries réunies, A, rue Mignon, 2, Paris.

DE DEORUM MINISTERIIS
IN PHARSALIA

PROOEMIUM

Antequam ad instituta pergam, cur hanc materiam potissimum arripuerim, mihi exponendum esse credo, quippe qui lectorem hujusmodi argumentum jam satis superque enucleatum fuisse secum reputare suspicer. Omissis enim alienigenis, imprimisque Germanis, qui nonnulla de Lucano opuscula scripserunt, apud nos grammaticum haud ignobilem impensam operam Pharsaliæ dedisse nemo ignorat [1].

In hoc libro tamem, quamvis amplus sit, judex ille acutus materiam mihi propositam levius præstringit, nec, ut mihi videtur, satis moratur circa Catonem [2], licet stoicus heros fere primas apud Lucanum teneat; circum Fortunam Fatumque, licet in locum deorum, qui Æneida vel Iliada regebant, successerint; superstitionem denique ac

1. D. Nisard, *Poëtes latins de la décadence* (1834), t. II.
2. *Id.*, *ibid.*, t. II, p. 95-97.

magicas artes, quæ religionis pietatisque vicem obtinent.

Ad hoc, severius de Lucano judicium facit, qui profiteatur Pharsaliam tædium afferre[1]. Ab hujusmodi sententia abhorrere licet, et potius in sententiam poetæ de poeta judicantis descendere[2].

Cæterum Gallis de Romano scriptore sententiam non dandam esse confiteor. Quid vero? Nonne Pharsaliam, Nerone imperante, in vulgus probatam fuisse constat? Quas ob causas ad delectationem auditorum aptus fuit Lucani liber?

Omnia quæ ad rem publicam vel ad litteras solum in Pharsalia spectant, quippe quæ bene ac composite a grammatico quem supra indicavi elaborata sint, prætermittam, locos qui ad religionem philosophiamque pertineant tantummodo consideraturus.

Pharsalia, cujus formam vituperare licet, lectoris, dummodo poematis viscera, ut ita dicam, consideret, gratiam favoremque sibi conciliat : quid enim hujus temporis homines de diis vel de philosophia senserint, nos monet. — At enim Lucanus non solum aliorum doctrinam refert, verum imprimis propriam sibi ac peculiarem de religione ac philosophorum familiis rationem tra-

1. « Je veux expliquer comment avec de grandes beautés, et malgré de grandes beautés, la *Pharsale* est un livre ennuyeux. » (P. 114.)
2. « Le poète Lucain, dont la lecture m'a rendu si amoureux de la force de ses pensées, et de la majesté de son raisonnement. » (Corneille, Ed. Mesnard, t. IV, p. 14.) « Mon bon ami Lucain. » (*Id.*, t. X, p. 449.)

dit. — Hoc in confesso est. Verum in tanta gratia fuerunt et poeta apud auditores et poema apud lectores, ut liqueat Lucanum hujusque æquales de rebus gravissimis summatim consentire, præcipue vero hac de re : Epicurei ac Stoici, olim in Græcia inter se contrarii, Romæ, non longius inceptum alibi bellum instauraverant, at contra fœdus, verbi gratia, sanxerant. Epicuri enim ratio ac Zenonis doctrina, si intimam harum partem, dempto vocabulorum fulgore, scruteris, non ita inter se abhorrent. Inde novam, ut ita dicam, philosophiam, medium ambarum et utrinque reductum, si Flacci verbum arripere licet, apparuisse credo. Cujus momenti fuerit ad Romanam pietatem, vivo Nerone, et inde ad deorum ministeria in Pharsalia, enucleare conabor.

Procul dubio de Epicureorum ac Stoicorum disciplina nihil novi dicere tentabo, quum hujusmodi de materia, diligentissime a nostris pervestigata, si quid novi asseveres, simul aliquid falsi dicas. Acceptas opiniones sæpe memorabo, sæpius etiam indicto auctore. Etenim cur libros, qui simul et in manibus sint et hæreant mentibus, designem? Cur laudibus, quas debitas simul ac gratuitas jam acceperunt, laudes addam ipse quæstuosas meritoriasque?

Liceat denique causam elocutionis meæ suscipere. Non elegantiam, sed imprimis perspicuitatem, etiam illepidam ac jejunam, mihi captandam esse visum est. Ad hoc, huc illuc irrepserunt ali-

quot verba, quibus, utpote mendosis, irasceretur delicatior grammaticus, quorum vero patronos obtestabor Senecam Lucanumque

DE
DEORUM MINISTERIIS
IN PHARSALIA

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

MAURICE SOURIAU

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET CIE

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1885

MAGISTRO SUO

G. BOISSIER

HOC OPUS DEDICABAT

M. SOURIAU

4722. — Bourloton. — Imprimeries réunies, A, rue Mignon, 2, Paris.

DE DEORUM MINISTERIIS

IN PHARSALIA

PROOEMIUM

Antequam ad instituta pergam, cur hanc materiam potissimum arripuerim, mihi exponendum esse credo, quippe qui lectorem hujusmodi argumentum jam satis superque enucleatum fuisse secum reputare suspicer. Omissis enim alienigenis, imprimisque Germanis, qui nonnulla de Lucano opuscula scripserunt, apud nos grammaticum haud ignobilem impensam operam Pharsaliæ dedisse nemo ignorat [1].

In hoc libro tamem, quamvis amplus sit, judex ille acutus materiam mihi propositam levius præstringit, nec, ut mihi videtur, satis moratur circa Catonem [2], licet stoicus heros fere primas apud Lucanum teneat; circum Fortunam Fatumque, licet in locum deorum, qui Æneida vel Iliada regebant, successerint; superstitionem denique ac

1. D. Nisard, *Poëtes latins de la décadence* (1834), t. II.
2. *Id.*, *ibid.*, t. II, p. 95-97.

magicas artes, quæ religionis pietatisque vicem obtinent.

Ad hoc, severius de Lucano judicium facit, qui profiteatur Pharsaliam tædium afferre[1]. Ab hujusmodi sententia abhorrere licet, et potius in sententiam poetæ de poeta judicantis descendere[2].

Cæterum Gallis de Romano scriptore sententiam non dandam esse confiteor. Quid vero? Nonne Pharsaliam, Nerone imperante, in vulgus probatam fuisse constat? Quas ob causas ad delectationem auditorum aptus fuit Lucani liber?

Omnia quæ ad rem publicam vel ad litteras solum in Pharsalia spectant, quippe quæ bene ac composite a grammatico quem supra indicavi elaborata sint, prætermittam, locos qui ad religionem philosophiamque pertineant tantummodo consideraturus.

Pharsalia, cujus formam vituperare licet, lectoris, dummodo poematis viscera, ut ita dicam, consideret, gratiam favoremque sibi conciliat : quid enim hujus temporis homines de diis vel de philosophia senserint, nos monet. — At enim Lucanus non solum aliorum doctrinam refert, verum imprimis propriam sibi ac peculiarem de religione ac philosophorum familiis rationem tra-

1. « Je veux expliquer comment avec de grandes beautés, et malgré de grandes beautés, la *Pharsale* est un livre ennuyeux. » (P. 114.)

2. « Le poète Lucain, dont la lecture m'a rendu si amoureux de la force de ses pensées, et de la majesté de son raisonnement. » (Corneille, Éd. Mesnard, t. IV, p. 14.) « Mon bon ami Lucain. » (*Id.*, t. X, p. 449.)

dit. — Hoc in confesso est. Verum in tanta gratia fuerunt et poeta apud auditores et poema apud lectores, ut liqueat Lucanum hujusque æquales de rebus gravissimis summatim consentire, præcipue vero hac de re : Epicurei ac Stoici, olim in Græcia inter se contrarii, Romæ, non longius inceptum alibi bellum instauraverant, at contra fœdus, verbi gratia, sanxerant. Epicuri enim ratio ac Zenonis doctrina, si intimam harum partem, dempto vocabulorum fulgore, scruteris, non ita inter se abhorrent. Inde novam, ut ita dicam, philosophiam, medium ambarum et utrinque reductum, si Flacci verbum arripere licet, apparuisse credo. Cujus momenti fuerit ad Romanam pietatem, vivo Nerone, et inde ad deorum ministeria in Pharsalia, enucleare conabor.

Procul dubio de Epicureorum ac Stoicorum disciplina nihil novi dicere tentabo, quum hujusmodi de materia, diligentissime a nostris pervestigata, si quid novi asseveres, simul aliquid falsi dicas. Acceptas opiniones sæpe memorabo, sæpius etiam indicto auctore. Etenim cur libros, qui simul et in manibus sint et hæreant mentibus, designem? Cur laudibus, quas debitas simul ac gratuitas jam acceperunt, laudes addam ipse quæstuosas meritoriasque?

Liceat denique causam elocutionis meæ suscipere. Non elegantiam, sed imprimis perspicuitatem, etiam illepidam ac jejunam, mihi captandam esse visum est. Ad hoc, huc illuc irrepserunt ali-

quot verba, quibus, utpote mendosis, irasceretur delicatior grammaticus, quorum vero patronos obtestabor Senecam Lucanumque

CAPUT I

LUCANUS, SICUT JAM ANTEA FLACCUS ET SENECA, SIMUL ET EPICURI ET ZENONIS DOCTRINÆ ASSENTITUR

Quomodo Lucani de diis doctrina, deorumque in Pharsalia ministeria, non bene quidem inter se cohærentia, tamen exponi queant, si vis intelligere, huic ratiocinationi attendendum est : apud poetam nostrum, scholæ, olim inimicæ, in unum coeunt; vel potius, Lucanus nec Stoicus est, nec Epicureus, nec scepticorum castra petit; verum, nulli doctrinæ obstrictus, at secum ipse discors, nunc in Epicuri verba jurat, nunc rigidus fit, duramque Stoicorum virtutem amplectitur. Non repugnantes doctrinas conciliare tentat : Epicuream doctrinam Stoicorumque philosophiam non componit, sed apponit. Nec mirum.

Jamdiu, verbis solum discrepantibus, rerum natura comparatum fuerat ut Epicurus et Zeno, apud Græcos, qui obscuris quæstionibus studerent, inimici, apud Romanos, simplicis activæque doctrinæ amatores, in gratiam reconciliarentur.

Romæ enim, philosophiæ pars, in qua de vita et moribus disputatur, diversis ex principiis orsa, eumdem demum finem petebat. Hac de re, non propriam mihi sententiam dico, sed judicis, hujusmodi studiis imbuti, judicio plane assentior : sive voluptariam Epicuri ἀπάθειαν prosequaris, seu superbam Zenonis impatientiam[1], reipsa pueriles speciosasque nugas fugis, ut veram felicitatem assequaris[2].

Nimirum, diversas amborum de diis doctrinas in unum coire posse nemo asseverabit; verum, quod ad religionem romanam attinet, eumdem ad exitum has pervenire fatendum est. Etenim Epicurea ratio, diis pietatique inimicior, deos rebus humanis consulentes, id est, eos qui, Homericorum Virgilianorumque numinum more, poeticis rebus immisceri queant, oratione relinquit, re tollit, ut ait Cicero.

Stoici vero, etsi Epicureorum de diis negligentiæ pietatem quamdam subjiciunt, ignavorumque numinum in locum, Deum unicum et omnibus naturæ viribus præditum substituunt, reapse romanorum deorum templa ipsi deserunt, Deo servituri. Antiqua numina jam nihil

1. Cf. Senecæ epistolam IX : « In ambiguitatem accidendum est, si exprimere ἀπάθειαν uno verbo cito voluerimus, et impatientiam dicere, » etc.

2. « L'apathie voluptueuse d'Épicure, et la fière impassibilité de Zénon, qu'est-ce autre chose, sous des formes diverses, que l'effort de l'homme pour se ramener tout en soi et pour se dégager des vanités puériles ou spécieuses, qui ne font ni sa perfection propre, ni sa félicité ? » (J. Denis, *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité*, t. I, p. 256.)

aliud sunt, nisi vana nomina, quibus prætextis licet, dum speciosam erga publicam religionem pietatem simulas, Stoicorum deum adorare; ut ait Seneca, tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. « Hunc et Liberum patrem, et Herculem, ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem : quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem. Herculem : quia vis ejus invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Mercurium : quia ratio penes illum est, numerusque, et ordo, et scientia[1]. »

Priusquam vero Lucanus sic de philosophia sentiat, jamdiu, apud Romanos, pacem philosophorum factam fuisse constat; ut vatem vati conferam, Horatii nomen tantummodo commemorabo, vel potius tantummodo commemorarem, ni acceptum de eo judicium, nuper infirmatum, rursus instaurandum esse mihi videretur. Cuidam, conscientiæ regendæ, usque in rerum tenuitate, artem apud Stoicos feliciter perspicienti[2] judex, philosophiæ simul ac litterarum peritior, prætermissum Flaccum indicaverat[3].

Discipulus vero viam a magistro monstratam

1. *De beneficiis*, lib. IV, cap. VII et VIII.
2. Thamin, *Un problème moral dans l'antiquité.*
3. « Horace, qui... dans ses promenades, dans son lit, se posait sans cesse des cas de conscience : « Rectius hoc est, hoc faciens vivam melius. » Un poète qui s'examine, se juge, se gronde, un poète mécontent de lui-même est un exemple assez rare pour être signalé, et montre jusqu'où peut aller le pouvoir de la casuistique. » (C. Martha, *Séances et travaux de l'Academie des sciences morales et politiques*, t. XX, p. 523-524.)

longius munivit, Horatiumque Stoicorum gregi, nulla adhibita correctione, adjunxit[1].

Flaccum « rigidum » fieri non negabo, quotiescumque vel Catonem extollit[2], ac, tanti nominis fulgore obcæcatus, prisci Catonis ebrietatem etiam excusat[3], vel amico « coemtos undique nobiles libros Panæti » fastidienti irascitur[4], vel divites parvo sub lare, pauperemque juxta mensam, voluptate omnibus curis pura fruentes memorat[5], vel ipsi Stoicorum rationi assentitur[6], vel quid sapientis virtus efficiat, mirabundus narrat[7], puramque de precibus doctrinam, qualem sola Zenonis schola Romæ doceret, præ se fert[8].

Verum hoc imprimis considerandum esse mihi videtur, scilicet Flaccum fere nusquam nisi in Carminibus, Zenonem sequi : poetam autem, quum lyrica pangat, non proprios sibi ac intimos sensus declarare, verum publice loqui, nec unquam oblivisci quid deceat vatem in Mæcenatis

1. Thamin, *lib. cit.*, p. 173-176.
2. *Carmina*, lib. I, c. 12, v. 35 ; lib. II, c. 1, v. 23.
3. *Carmina*, lib. III, c. 21, v. 11-12.
4. *Carmina*, lib. I, c. 29, v. 13.
5. Talia cæterum nonne et ipse Epicurus et faciebat et suadebat? « Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus maligne famem exstingueret, visurus an aliquid deesset ex plena et consummata voluptate, vel quantum deesset, et an dignum quod quis magno labore pensaret. Et quidem gloriatur non toto asse pasci, Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto » (Seneca, *Epist.* XVIII, 7). Ceterum spontaneam hanc ac brevem paupertatem non Stoici nec Epicurei excogitaverant, verum divites, divitiarum suarum pertæsi. Mira hæc ac quæsitior satietatis solertia fit apud Senecam grave ac rigidum philosophiæ artificium. Cf. C. Martha, *Les moralistes sous l'Empire* (Ed. tertia), p. 34-36.
6. *Carmina*, lib. II, c. 2, v. 9-12.
7. Lib. III, c. 2, v. 17-20, et c. 3, v. 1-8.
8. Lib. III, c. 23, v. 17-20.

gregem lectum, imo principis, pietati faventis, amicum et adjutorem. In Sermonibus vero, quum jam non declamat, sed loquitur, non plenissime Stoicorum præcepta probat :

Vivere naturæ *si* convenienter oportet [1].

Catonis ipsius habitum modice laudat [2], hujusque præceptum quoddam, quale nunquam apud Epicureos, vel Cynicos etiam, reperias, cavillans opinor, memorat [3]. Nusquam vero Zenonis doctrinam pie ac copiose explicat, Lucretii Epicurum vulgantis simul et ornantis instar : has partes servo suo tradit : Davus enim Stoicam disciplinam docet [4], quam Davum ipsum docuit philosophi janitor [5].

Multum abest quin Stoicam revereatur sectam; huic contra, quotiescumque doctrinam, aut libros, aut sectatores attingit, illudit : libros enim publico pellicis cubili imponit, « sericos inter pulvillos [6] ». Stoicum, si forte a pueris lascivientibus exagitetur [7], deridet. Remoto joco, sapientis felicitatem nullo pacto fieri posse affirmat [8], Stoicosque, quum paria esse delicta sceleraque asseverent, errare [9]; ut sapiens merito dicaris, non necesse

1. *Epist.*, lib. I, ep. 10, v. 12.
2. *Epist.*, lib. I, ep. 19, v. 12-14.
3. *Sat.*, lib. I, sat. 2, v. 31-35.
4. *Sat.*, lib. II, sat. 7, v. 83-88.
5. *Quæ Crispini docuit me janitor, edo.* v. 45.
6. *Epod.*, VIII, v. 15-16.
7. *Sat.*, lib. I, sat. 3, v. 133-136.
8. *Epist.*, lib. I, ep. 1, v. 106.
9. *Sat.*, lib. I, sat. 3, v. 77-79, v. 96-98, v. 113-124; *Epist.*, lib. I, ep. 16, v. 55.

est humani boni summam assecutum esse[1]; sapiens justius insani nomen feret,

> Ultra quam satis est virtutem si petet ipsam[2].

Sapiens denique insano insanior est[3]. — Profecto, si Flaccum philosophis « ad sapientiam προκόπτουσιν » annumerandus est[4], hunc lentissime festinasse fatearis necesse est.

Epicureas contra voces sæpius mittit Flaccus. Exceptis etiam locis, in quibus non solum Epicuri doctrinam, verum etiam propria Lucretii verba reminiscitur[5], non scientiam ab exercitatione separat, lectorique suadet ut quidquid nimium sit, fugiat[6], voluptatem doloribus emptam spernat[7], neve eam extrinsecus quærat[8]. Denique postquam diu in incerto habuit utro in fonte pura hauriri possit voluptas, in sententiam Epicuri descendit, minima quidem correctione adhibita :

> Nil admirari *prope* res est una, Numici,
> Solaque quæ possit facere et servare beatum[9].

1. *Epist.*, lib. I, ep. 2, v. 40.
2. *Epist.*, lib. I, ep. 6, v. 15-16.
3. *Sat.*, lib. II, sat. 3, v. 326.
4. Thamin, *lib. cit.*, p. 174.
5. Exempli gratia : « Crescunt divitiæ, tamen Curtæ nescio quid semper abest rei. » (*Carmina*, lib. III, c. 24, v. 63.) — Confer Lucretium : « Medio de fonte leporum Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat. » (Lib. IV, v. 1129.) — « Neptunum procul e terra spectare furentem, » ait Flaccus (*Epist.*, lib. I, ep. 11, v. 10). — Confer notissimum Lucretii locum : « Suave, mari magno, turbantibus æquora ventis, etc. » (Lib. II, v. 1 sqq.)
6. *Sat.*, lib. II, sat. 2, v. 65 sqq., v. 112 sqq.
7. *Epist.*, lib. I, ep. 2, v. 55.
8. *Sat.*, lib. II, sat. 2, v. 19-20.
9. *Epist.*, lib. I, ep. 6, v. 1. Cf. Denis, *lib. cit.*, t. I, p. 292 : « Le vrai principe de l'Épicurisme, c'est l'apathie du corps et de l'âme, c'est le *Nihil admirari* d'Horace, » etc.

Quid postea? Quamvis hujusmodi præcepta Epicureorum cuilibet certe placuerint, quamvis etiam puriorem magistri doctrinam subinde obliviscatur Flaccus, et in deteriores mores non furtim relabatur[1], num confitentem reum in Epicuri gregem agemus[2]? Minime.

Sive philosophatur Horatius, seu amat, poeta sibi constat, « non præter solitum levis[3] ». Philosophorum doctrinæ poetarum philosophiam anteponit[4]. De moribus vero utramque scholam deserit, ac peculiarem sibi rationem excogitat : alia venientes annos decent, alia recedentes : opportunis et ætati accommodatis voluptatibus tantummodo frui licet[5]. Est modus in virtute : imo virtus modo continetur[6].

Plerumque inter utramque doctrinam ita jactatur, ut sæpe, utrum Zenoni obtemperet, an Epicuro, in incerto sit[7], notum vero Flacci de se ipso verbum plane confirmetur :

Nullius addictus jurare in verba magistri [8].

Omnia ista de Horatio supervacanea esse, et a proposito meo abhorrere merito dicerentur, si

1. *Epist.*, lib. I, ep. 5, v. 16.
2. *Epist.*, lib. I, ep. 4, v. 15-16.
3. Cantamus vacui, sive quid urimur,
Non præter solitum leves... (*Carm.*, lib. I, ep. 6, v. 19-20.)
4. *Epist.*, lib. I, ep. 2, v. 1-4.
5. *Carm.*, lib. III, c. 14, v. 25-28; *Epist.*, lib. I, ep. 7, v. 27; ep. 14, v. 36; lib. II, ep. 2, v. 55 et v. 211.
6. *Sat.*, lib. I, sat. 1, v. 106-107; *Epist.*, lib. I, ep. 2, v. 71; ep. 18, v. 9.
7. Præsertim his in locis : *Carm.*, lib. III, c. 16, v. 39-42; *Sat.*, lib. I, sat. 1, v. 49-51, v. 75-75; sat. 2, v. 73-76, v. 111-113.
8. *Epist.*, lib. I, ep. 1, v. 14.

demum concluderetur Horatium Epicuri Zenonisque de moribus præceptis modum et mensuram adhibuisse. Verum hocce potissimum argumentum ex his colligendum esse credo : Romanos non jam in duas partes discedere, nec philosophica bella sibi invicem indicere, verum Stoicos fateri aliquid boni apud Epicurum inveniri posse, rursus Epicureos non uni inservire Epicuro; tandem, ex duabus istis doctrinis, novam conflari philosophiam, verborum ac subtiliorum discriminum incuriosam, imprimisque de deorum humanis in rebus ministeriis dubitantem, quippe quæ vel deos in ultimas mundi partes, secundum Epicurum, exportet, vel cum Stoicis, ut supra vidimus, varia Dei nomina commenticiis numinibus imposita fuisse credat[1].

Aliquid scilicet pietatis Flacco inesse solus credet qui primam rerum faciem solum considerabit. Fateor quidem in aliquot ad Augustum carminibus pios reperiri versus[2]. Quin etiam Bacchum, Nymphasque ac Satyros ipse vidit : « Credite, Posteri[3] ! » Dî vatem tuentur[4]; Jupiter ipse, sereno tonans, formidinem simul et religionem Flacco incussit[5]. Faunus denique arborem cadentem poetæque minantem dimovit[6].

1. « Les Epicuriens... creusaient dans les croyances cet immense vide que le Stoïcisme s'efforça de combler. » (Denis, *lib. cit.*, t. I, p. 257.)
2. *Carm.*, lib. I, c. 2, v. 25 sqq.; c. 12, v. 13 sqq.; c. 13, v. 13 sqq.
3. *Carm.*, lib. II, c. 19, v. 1-4.
4. *Carm.*, lib. I, c. 17, v. 13 sqq.
5. *Carm.*, lib. I, c. 34, v. 1 sqq.
6. *Carm.*, lib. II, c. 17, v. 27; lib. III, c. 8, v. 6.

Hæc vero solum in carminibus reperias : in sermonibus autem incredulus ridet Horatius divinationem[1]; ne vaticinium quidem, sibi ipsi quondam dictum, magni facere videtur[2]. Minimam portentis fidem adjungit :

> ... Credat Judæus Apella,
> Non ego : namque deos didici securum agere ævum,
> Nec, si quid miri faciat natura, deos id
> Tristes ex alto cœli demittere tecto[3].

Priapum denique, magas terrentem fugantemque, quis, nisi « parcus deorum cultor[4] » unquam narrasset? Excepto Carmine Sæculari, ubi, apud Flaccum, disceret preces « ignara puella mariti[5] »?

Apud Flaccum ergo, ut argumentum colligam, pietatem, Epicuri præceptis labefactatam, non restituere valuit doctrina Zenonis. Idem Lucano, mutatis mutandis, accidisse constat; non enim, ut Flaccus, servato quodam doctrinæ tenore, arduam Stoicorum philosophiam deserit, ut relabatur in præcepta Epicureorum; verum nunc in Zenonis ludo declamat, Zenone ipso rigidior; nunc, audax transfuga, palam Epicuri castra petit. Ad hoc pietas, quæ apud Flaccum, quantulacumque sit, tamen interdum apparet, apud Lucanum nulla est. Mediis enim annis, Epicu-

1. O Laertiade, quidquid dicam, aut erit, aut non, ait Tiresias (*Sat.*, lib. I, sat. 5, v. 60), nec de hujus versus sensu disputare licet.
2. *Sat.*, lib. I, s. 9, v. 29 sqq.
3. *Sat.*, lib. I, s. 5, v. 97-102.
4. *Carm.*, lib. I, c. 34, v. 1.
5. *Epist.*, lib. II, ep. 1, v. 132.

ream rationem invaluisse patet. Non solum apud poetam cohærent doctrinæ olim inimicæ, verum philosophus etiam, nec ignobilis Zenonis discipulus, Epicurum indulgenter, imo amice accipit.

L. Annæus Seneca enim, quamvis speciosum Stoici nomen, publicam doctrinam quum exponit, præ se ferat, nunc furtim ad castra Epicuri transit[1], ac quasi veniam petit, « Eo libentius Epicuri egregia dicta commemoro, ut istis qui ad illa confugient, spe mala inducti, qui velamentum ipsos vitiorum suorum habituros existimant, probem, quocumque ierint, honeste esse vivendum[2] », nunc palam profitetur Epicurum, licet male audiat apud Stoicos, fama sua meliorem esse : « in ea quidem ipse sententia sum (invitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum et recta præcipere, et, si propius accesseris, tristia[3]. »

Inde patet Romæ paulatim Stoicos, antiquam exuentes superbiam, Epicuri castra, nec jam hostiliter, petivisse, et civili bello finem tandem imposuisse[4]. Inde, apud Senecam, redundant Epi-

1. « Soleo enim et in aliena castra transire, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. » (*Epist.*, II, 4.)

2. *Epist.*, XXI, 9.

3. *De vita beata*, XIII, 1. Cf. : « Itaque non dico, quod plerique nostrorum, sectam Epicuri flagitiorum magistram esse; sed illud dico, male audit, infamis est : et immerito. » (*Ibid.*, XIII, 2.) « Apud me est Epicurus et fortis, licet manuleatus sit. » (*Epist*, XXXIII, 2.) Jamdiu notatum est Senecam non puram Zenonis doctrinam amplecti, et imprimis recondita Stoicorum vel principia vel argumenta parvi facere. Cf. C. Martha, *Les moralistes*, p. 47, 50-56.

4. Cæterum Seneca eadem sentiebat quæ Posidonius, quem laudibus prosequitur : « Ut mea fert opinio, ex his qui plurimum philosophiæ contulerunt. » (*Epist.*, XC, 19.) Posidonius enim, teste Justo Lipsio, non omnia Stoicorum præcepta accipiebat, « cujus moderatio,

curi præcepta : « Potest fieri ut me interroges quare ab Epicuro tam multa bene dicta referam potius quam nostrorum? quid est tamen quare tu istas Epicuri voces putes esse, non publicas[1]? »

Si quando in Stoica doctrina modus non servatur, apud Senecam Epicuri auctoritate confirmatur Zenonis præceptum : « Negamus quemquam scire gratiam refere, nisi sapientem... hoc aliquis inter illa numerat, quæ videmur inopinata omnibus dicere (παράδοξα Græci vocant...) ne nobis fiat invidia, scito idem dicere Epicurum[2]. » Nec solum Græcum magistrum mirabundus commemorat, verum hujus quoque Romanum discipulum : Lucretium semel tantum profert, sed primas, ut ita dicam, partes agentem : nam phi-

non eruditio solum, laudatur, judicio Stoicus : et ideo aliquando dissentiens, ut qui « sectam deserere maluerit (Galenus de eo) quam virtutem ». (J. Lipsius, *Manuductio ad Stoicam philosophiam*, lib. I, dissert. XI.)

1. *Epist.*, VIII, 6-7. Cf. : « Nolo illas Epicuri esse existimes : publicæ sunt, et maxime nostræ. » (*Epist.*, XXXIII, 1.) — Quamvis pro certo habeam Senecæ, etsi Stoico, imprimis placere Epicuri præcepta, tamen ratus quemlibet, si quid absolutius asseveret, propius ad errorem quam ad veritatem accedere, hanc correctionem adhibebo : non solum Epicurum philosophico, ut ita dicam, hospitio accipit Seneca; a teneris etiam, ferè in eo est Noster ut quemvis unum, dummodo sibi abollam induerit, sequatur. Senecam enim, quem tironem adhuc Pythagoræ doctrinam Sotio docuerat, vitam Pythagoræ decretis obnoxiam vixisse constat, dein, quamvis jam in Zenonis verba juraret, nec Platonem, nec Demetrium Cynicum parvi fecisse (conf. C. Martha, *Les moralistes sous l'empire romain*, p. 9-10); hoc insuper ab eodem judice notatum est : « Il faut se rappeler encore que Sénèque n'a point passé sa vie dans les écoles, qu'il a vécu dans le monde et les affaires; et ce n'est pas à la cour qu'on se fait un système inflexible, et un esprit qui ne sait plier. » Felici isti loco hæc tantum modo addam : Senecam, si rem feliciter gerere vellet, nunquam meram Zenonis doctrinam præ se ferre potuisse patet; Romæ, Stoicos semper in suspicionem principum venire, quis ignorat? Rigidiori doctrinæ patrocinium quæritur : facilis Epicuri philosophia propugnaculum Senecæ fit.

2. *Epist.*, LXXXI, 9.

losophiæ semetipsam laudanti, commodantur Lucretii verba : « Totum, inquit, mundum scrutor, nec me intra contubernium mortale contineo, suadere vobis ac dissuadere contenta; magna me vocant, ait philosophia, supraque vos posita,

Nam tibi de summâ cœli ratione Deumque
Disserere incipiam, et rerum primordia pandam,
Unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
Quoque eadem rursus natura perempta resolvat,

ut ait Lucretius[1]. »

Quotiescumque quidem de numine Seneca loquitur, longe ab Epicuri doctrina abhorret[2]; verum et ipse Deum, romana superstitione violatum, cultorum suorum opprobriis eximit[3]. Nec puriorem solum diis, vel potius Deo, cultum adhibet, sed etiam deos a sacerdotibus poetisque consecratos ridet. In libro enim qui « de morte Claudii ludus » inscribitur, Claudius simul et Olympi incolæ illuduntur. Imo de Epicureorum numinibus Stoicorumque Deo, eadem ferme sentit Seneca[4].

Familiarem hanc ac gentilem doctrinam M. Annæus Lucanus secutus est, quippe qui, pius patrui discipulus, simul et Epicuro sæpius assentiatur, et in verba Stoicorum juret, postremo Deos minimi faciat.

1. *Epist.*, XCV, 10-11.
2. Supervacaneum esset huic loco diutius insistere, quum jam feliciter Senecæ de diis doctrina enucleata sit in libro qui inscribitur « Quid de Deo Seneca senserit, » p. 36, auctore Levy-Bruhl.
3. *Id.*, *ibid.*, pp. 10, 46-49.
4. *Ludus*, cap. VIII.

Epicuri de deorum industria doctrinam certe sequitur, quum vociferatur iratus furensque :

> Sunt nobis nulla profecto
> Numina : quum cæco rapiantur sæcula casu,
> Mentimur regnare Jovem : spectabit ab alto
> Æthere Thessalicas, teneat quum fulmina, cædes ?
> Scilicet ipse petet Pholoen ? petet ignibus Œten,
> Immeritæque nemus Rhodopes, pinusque Mimantis [1] ?

Inde colligit :

> Mortalia nulli
> Sunt curata deo [2].

Imo Lucanum Lucretii doctrinæ haud semel indulgere declarat locus in quo Annæus ancilia unde veniant exponit [3]. Nonne ibi Lucretii de presteribus doctrina Lucanus utitur [4] ?

Homines diis, quia eos metuant, credere ait Lucretius [5] : ait et ipse Lucanus [6].

Errores Jovis notantur in Pharsaliæ procemio :

> In sua templa furit [7].

Nonne vero Lucretius jam dixerat :

> Postremo cur sancta deum delubra, suasque
> Discutit infesto præclaras fulmine sedes [8] ?

Montes, immeritum nemus, pinusque, ut supra

1. *Pharsalia*, lib. VII, v. 445-450.
2. *Ibid.*, v. 454.
3. Lib. IX, v. 471-480.
4. *De nat. rer.*, lib. VI, v. 423-450.
5. *Ibid.*, lib. III, v. 1-40.
6. *Pharsalia*, lib. III, v. 415 sqq.
7. Lib. I, v. 155.
8. *De nat. rer.*, lib. VI, v. 417-418.

vidimus, fulmine percutit Jupiter apud Lucanum : Lucretius vero :

> Altaque cur plerumque petit loca, plurimaque ejus
> Montibus in summis vestigia cernimus ignis[1] ?

Luctuosæ tandem Lucretii de mundi morte doctrinæ[2] assentitur[3].

Quanti ergo momenti apud Lucanum sit Epicuri doctrina, imprimis notandum est : simul, patrui exemplum secutus, Zenonis doctrina plenius imbutus est : mentem ejus occupat Epicurus, at vivit sub pectore Lucani Zeno. Omnia quæ de Naturæ ratione Epicurei locuti erant, obliviscistur, ac Stoicorum, id est Senecæ, quæstionibus naturalibus assentitur; exempli gratia, quot et quanta in mundo ignis effecerit, refert[4]. Achoreus, postquam singillatim percensuit varias de Nili incrementis doctrinas, tandem quid Lucanus, prætexto sacerdotis nomine, de hujusmodi portento sentiat, declarat; tum, spreta Epicuri doctrina, memoratur « ille creator Atque opifex rerum[5] ».

Cum Stoicis, hominem mortem sibi consciscere posse credit :

> Non tamen ignavæ post hæc exempla virorum
> Percipient gentes quam sit non ardua virtus
> Servitium fugisse manu[6].

1. *De nat. rer.*, lib. VI, v. 421-422.
2. Sic igitur magni quoque circum mœnia mundi
   Expugnata dabunt labem, putresque ruinas. (L. II, v. 1144-1145.)
3. *Pharsalia*, l. I, v. 72-80.
4. Lib. IX, v. 303-318.
5. Lib. X, v. 262-267.
6. Lib. IV, v. 575-577.

Cum Stoicis virtutem laudat (sæpius quam ut omnia exempla memoranda sint), stoicam, id est duram virtutem[1], cui pericula laboresque placeant[2]. Quæ sit hæc virtus, copiose definit[3]. Nec virtutis solum nomen ostenditur : ipsa, in sancto Catonis pectore, qui humanum vel potius divinum stoicæ virtutis fit exemplar, insidet.

Quidam denique loci nobis inspiciendi sunt, in quibus Lucanus doctrinarum, quas supra memoravi, neutri annumerandus est : verbi gratia, quum poeta, Cæsarem de cadaveribus insepultis incusans, exclamat :

> Communis mundo superest rogus, ossibus astra
> Mixturus[4].

Zenonis Platonisque doctrinæ Lucanus quidem alludit. Quid vero? Nonne eadem fere scripsit Lucretius de funeribus[5]? Nonne Lucanus Lucretio adsentitur, quum exclamat :

> Tabesne cadavera solvat,
> An rogus, haud refert?

Lucanus, Flacci instar, variis, de Diis Animaque ac Inferis, fabulis non jam credit : apud eum abest religio, adest superstitio, apparent quoque magicæ artes.

Male cohærere inter se varias Pharsaliæ doctri-

1. Lib. IX, v. 445.
2. ..... Serpens, sitis, ardor, arenæ,
Dulcia virtuti : gaudet patientia duris. (Lib. IX, v. 402.)
3. Lib. IX, v. 562-572.
4. Lib. VII, v. 809-819.
5. Lib. III, v. 886-891.

nas non negabo; nec has inter se componendas curabo : poeta est Lucanus, non philosophus : sæpius doctrinæ, quæ verbum numero melius accommodatum præberet, indulgere debuit.

Quomodo ergo deorum et umbrarum ministeria adhibuerit, invita philosophia, considerandum est : videbimus quanti apud eum fuerit momenti Epicurus prius, dein Zeno. Denique quosdam illustrabimus locos, in quibus magistrorum neutri obtemperat, sed Romanum morem, acceptamque omnibus traditionem sequitur.

CAPUT II

QUANTI APUD LUCANUM MOMENTI FUERIT EPICURUS

§ 1. — *De Diis.*

« Lucanus, cujus ingenio nova placebant, ait philosophus recentior, viam novam munivit : nullum opus imitatus est : nemini nec virtutes nec vitia accepta refert, et ob id ipsum non parvi faciendus est[1]. » Hanc in Annæum benevolentiam non mirabitur, qui recordabitur Lucanum, philosophum simul ac poetam, deos humanas res curare negasse. Equidem Annæus se in libertatem vindicavit, nec Homeri morem a Virgilio servatum traditumque accepit : verum non merito Lucanus notos versus sibi applicasset :

> Juvat... novos decerpere flores
> Insignemque meo capiti petere inde coronam
> Unde prius nulli velarint tempora Musæ.

Nam Romani poetæ jam Romanam historiam historice cecinerant. Exempli gratia Nævius unam

1. Voltaire, *Essai sur la poésie épique*, cap. IV.

partem carminis historiæ tribuerat, alteram fabulæ.

Poetæ enim cuilibet, si certos eventus narrare velit, nonne abstinendum est quominus falsa veraque misceat? Historiam amas, nec tamen fabulam fastidis? utra placeat magis, tibi sumenda est : verum, licet antiquos eventus narres, non potes historiam simul narrare et ornare : quid vero, si recentiores, imo æquales eventus canis?

Hujusmodi impedimentum superari vel circumiri licebat, dummodo Lucanus solum historiam versibus scriberet : verum, juvenili raptus audacia, justum epos pangere tentat, et quamvis vera dicere velit, deorum ministeria, homerico more, adhibere conatur. Consilium non successit, duarum rerum gratia : primum, in recentioribus eventis, hominem ipsum agere dilucidius patet quam ut homines non sponte agere sed a diis agi, asseverando proficias; dein obstabat Epicurus.

Priori de re, vulgi animum juvant, in antiquorum eventorum narratione, dii hominibus manum porrigentes : inde traduntur ea, in quibus fabula ac veritas miscentur, antequam pura apparet historia. Plebi mirificæ res imprimis, et supra naturam humanam excedentes, placent : præteritis ergo temporibus mirifica eventa vulgus imputat, quæ in præsenti non inveniat. Deos vero rebus recentioribus inseri non placet, etiamsi non in ipsa audientium regione, verum in longinquis terris res agitur. Præsenti enim tempore, omnia

aperta ac simplicia sunt, et ex humano fonte cadunt : sagitta militem confodit? Sagittam ergo sagittarius miserat. Lorica cadit? Fibula loricæ fracta est. Antiquis vero fabulis si credis, deus sagittam emiserat, deus loricam decusserat. Si quis vero, ignavus, ut omnes norunt, parmam, non bene relictam, sibi a deo raptam fuisse narrat, quis credat? Item, quis poetæ credat narranti deum ignavo cuidam parmam rapuisse? Imo, ut ait Voltaire, « qualem personam susciperet Cæsar, in Pharsalico campo, si huic gladium Iris afferret, vel si, consilium ei latura, auream nubem relinqueret Venus[1] »?

Ad hoc, Deos in homericis carminibus agere minime mirabantur Graii, quippe qui cum diis familiariter, ut ita dicam, viverent, Olympique historiam, vel publicam ac gravem, vel intimam ac lepidam, noscerent. Heroes ἐπώνυμοι, quos tota gens reveretur, non semel, deo lasciviente, vel dea numinis sui oblita, nati sunt. Nemo ergo, apud Græcos, miratur deos in epico carmine et esse et agere, quum eos reipsa aut viderit, aut senserit. Omnia ista notiora sunt quam ut necesse sit diutius his immorari.

Romani vero non talem deorum indigetum faciem sibi proponebant, qualis est hominis pulchri, robusti et augusti; nec, quamvis deorum benevolentiam erga Romam experirentur, unquam

1. *Essai sur la poésie épique*, cap. v.

deos cum legionibus adversus hostium exercitum pugnantes adspexerant. Lucanus ergo, adhibitis in Pharsalia homericis diis, nec plebi placuisset, nec principi. Nero enim, quamvis novus Augustus alteri Virgilio fiat in Pharsalia[1], pios versus non magni fecisset, superstitione quidem imbutus, deorum tamen contemptor[2].

Verum Lucanus, utpote Epicureus, deos mundum regere negat : utpote poeta, recitatorque, deos in Homericum Olympum reducit, quo facilius litem Jovi inferat, Apollinemque jurgio lacessat.

Sæpe quidem de diis, sæpius vero cum diis loquitur Annæus, asperiusque : hos si forte obtestatur, non pietatem observat, sed poetarum recitatorumque morem : « apostropha » uti vult.

Ipsi heroes deos, modo sint, precantur. Cornelia, quamvis et femina sit, et mœreat, dubia secum anquirit utrum dii vota audiant, necne[3]. Cornelia saltem dubitat, id est, fere in eo est ut credat. Lucanus vero, quum ipse loquitur, aperte dicit, ut supra vidimus :

Mortalia nulli
Sunt curata Deo[4].

Imo, non solum deorum erga homines benevo-

1. Tu satis ad dandas Romana in carmina vires. (Lib. I, v. 66.)
2. « Religionum usquequaque contemptor, præter unius Deæ Syriæ. Hanc mox ita sprevit, ut urinu contaminaret. » (Suetonius, *Nero*, cap. LVI.)
3. ... Quod si sunt vota, deisque
Audior. (Lib. V, v. 778.),
4. Lib. VII, v. 454-455.

lentiam negat Lucanus, verum, secundum Epicurum, deos et ipsos morti obnoxios esse declarat[1]; denique deos esse, aut regnare, omnino negat[2].

Quare vero, quum dii nec humanas res curent, nec sint, eos continuo jurgio lacessit[3]? Cur diis nunc irascitur, nunc illudit :

> Hoc placet, o superi, quum vobis vertere cuncta
> Propositum, nostris erroribus addere crimen[4]?

Quibusdam vero versibus si credis, invenies deos, quamvis prodesse nequeant, hominibus, aut potius miseris, insultare posse :

> ...Tantum miseris irasci numina possunt[5].

Virum, modo potens sit, nunquam mala Fortuna insectatur : Cæsar pluvia paulisper vexatur,

> Sed parvo Fortuna viri contenta pavore
> Plena redit, solitoque magis favere secundi,
> Et veniam meruere dei[6].

Rursus vero poeta dicit esse :

> ...Faciles dare summa deos, eademque tueri
> Difficiles[7].

1. Mors dilata deum. (Lib. VI, v. 698.)
2. Sunt nobis nulla profecto
Numina..... mentimur regnare Jovem. (Lib. VII, v. 445-447.)
3. Mihi, Lucanum perlegenti, interdum memoriæ occurrebant recentiores quidam poetæ, qui Deum non esse primum monstrant, Deo dein irascuntur ac convitiantur. Inde confici potest eos doctrinam suam non ita perspectam habere. Si certo scirent Deum commenticium esse, cur hunc allatrarent?
4. Lib. VII, v. 58.
5. Lib. III, v. 449.
6. Lib. IV, v. 121-123.
7. Lib. IV, v. 121-123.

Dii, si Protea novum credis, semetipsos unice diligunt :

> Felix Roma quidem, civesque habitura beatos,
> Si libertatis Superis tam cura placeret
> Quam vindicta placet [1].

Annæus igitur in Pharsalia nullam potestatem tribuere poterat diis, quibus varium ac precarium numen nunc concedat, nunc eripiat, prout libeat. Dii igitur interiorem partem obtinent templorum, quorum portas subinde recludit poeta, divino signo oblatraturus : portæ dein clauduntur. Providentiam ergo hic ne quæras : re vera dii neminem tuentur; nec invidiam nec jurgia, quibus Homerici dii, magna cum carminis jucunditate, indulgent, norunt.

§ 2. — *De Fabulis.*

Deos igitur respuit, fabulosam vero deorum historiam indulgenter accipit, Aristotelis, credo, auctoritati obsecutus, qui dixerit : « mira juvant : indicio sunt narratores, qui veritatem amplificant, ut placeant [2]. » Etsi vera est animadversio, caveat tamen narrator ne longius procedat, ac auditori dubitationem afferat ; narrationem ornari licet, dummodo non videatur ornari ; imprimis vero

1. Lib. IV, v. 807-809.
2. *Ars poetica*, cap. xxv, 5.

nunquam hujusmodi exordium sumendum est :

> Invidus annoso famam qui deregat ævo,
> Qui vatem ad vera vocat[1].

Quo pertinuit poeticum fabulis utendi jus tibi aperte, acerbe etiam, vindicare, si veniam datam negligis, et omnem fabulæ jucunditatem prius sic perdis ? Concessam vatibus licentiam si palam expostulas, simul exclamare mihi videris : « Caveat lector ne quid falsi accipiat. » Narrator qui vulgi aures delectat, « fabellam vere factam esse olim » candide dicit ; callidior homo ita fabellam narrat, ut omnes hanc factam esse credant ; Lucanus vero, versutus homo, fabulas non veras esse in procemio monet.

Dicet aliquis : cur famam simul et sequitur et negat ? Annæus fabulas, quia apud magistros leguntur, in Pharsalia quoque legendas esse putat : invitus invitas adhibet, nullo temporum discrimine habito. Apud Homerum fabulam solum narrari omnes fatentur ; deos fere humanos, hominesque fere divinos, quasi uno tenore cohærere nemo miratur. In Æneide vero, fabula historiaque inter se abhorrerent, ni mira fretus calliditate Maro repugnantia fere conciliaret. In Pharsalia vero æquales gentilesque eventus et antiquæ vel alienigenæ fabulæ illepide coeunt, poeta nullo modo commissuram curante. Recentem adhuc ac scholasticam eruditionem jactare videtur Lucanus : vix

1. Lib. IX, v. 359-360.

ferulæ oblitus, Græcas fabulas quas docuit ludi magister, adhuc recordatur : o infelicem memoriam ! Lectoris jam ardescentis subito restinguitur studium, fabula inopinanter apparente. Catoni subita procella agitato jam faves, salutemque exoptas ; pars ratium periit : ubi sit Cato, tantum non anxius, anquiris, et utrum torpentem paludem adire potuerit necne : tunc poeta :

Hanc, ut fama, Deus, quem toto littore pontus
Audit ventosa perflantem murmura concha,
Hanc et Pallas amat ; patrio quæ vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cœlo est,
Ut probat ipse calor) tetigit ; stagnique quieta
Vultus vidit aqua, posuitque in margine plantas,
Et se dilecta Tritonida dixit ab unda,
Quam juxta Lethon tacitus prælabitur amnis,
Infernis, ut fama, trahens oblivia venis, etc.[1].

Quid vero me juvant et Pallas, vultum in aqua admirans, et Deus, quem *fama est* hic perflare murmura concha, et Lethe quæ oblivia potantibus præbet, *ut fama est*, etc. : Cato, ubi est ?

Cæsar, in regia obsessus, secum regem ducit obsidem, in famulos Ptolemæi caput, si jubeat periculum, missurus :

... Sic barbara Colchis
Creditur ultorem metuens regnique fugæque,
Ense suo, fratrisque simul cervice parata,
Exspectasse patrem[2].

Fabulæ istæ, a poeta undique collectæ, tædium

1. Lib. IX, v. 348-356.
2. Lib. X, v. 464-467.

afferunt lectori, præsertim Annæi incredulam mentem recordanti. Lucanus enim postquam narrandi mira falsaque jus sibi vindicavit, subinde lectorem monet fabularum fidem in Pharsalia non asseverari. Nihil suo nomine ponit; deo cuidam Syrtes placere tradit, non vero ipse testatur. Nulla adhibita istiusmodi « creditur, ut fama est, dicunt » præfatione, nemo suam Annæo credulitatem objecisset.

Unde fit tamen, secundum Lucanum, ut hæ vigeant fabulæ de diis? Evhemeri doctrinam, olim Romanis gratam, deserit Lucanus, in Epicuri verba juraturus : monstris naturales causas adscribere tentat. Quid de Ancilibus censeat, jam breviter attigimus. Turbo Catonis exercitui incumbit, milites fundit sternitque, arma simul rapiens :

Galeas, et scuta virorum
Pilaque contorsit violento spiritus actu,
Intentusque tulit magni per inania cœli[1].

Quo tandem ceciderint ignorat poeta, callidam tamen conjecturam facit, deinde hæc subjicit :

Sic illa profecto
Sacrifico cecidere Numæ, quæ lecta juventus
Patricia cervice movet : spoliaverat Auster
Aut Boreas populos ancilia nostra ferentes[2].

Istiusmodi jocos dicat Salius sacerdos, rursus

1. Lib. IX, v. 471-473.
2. Lib. IX, v. 474-480.

Martis templum post pompam ingressus; ista vero epici carminis gravitatem dedecent. Augustum opus poeta levius tractat, et propriis plectitur armis : nam postquam Romanam risit fabulam, cur fabulas, non multo probabiliores, mutuatur a Græcis? cur, fere remoto joco, credit innumeros angues, Medusæo capite stillante, natos esse? Narrat se nec curæ nec labori pepercisse ut veram reperiret causam[1].

Ex inopia, fabulosam tradit explicationem, cæterum « vulgatam per orbem » : inde se excusatum abire credit, præsertim quum dissimulanter hilarescat ipse, lectoremque exhilaret : Perseus populis stuporem affert, et omnium capita erigit :

> Quis enim non præpete tanto
> Æthera respiceret[2]?

Fabulæ vero enodationem rursus inspiciamus. Antequam monstri causam quærit, cur potius non anquirit num monstrum verum sit? — Equidem jam mihi audire videor poetam irascentem et exclamantem :

> Individus annoso famam qui derogat ævo,
> Qui vatem ad vera vocat!

Cur vero ipse vates sese ad vera, nemine vocante, vocat, nec reipsa vera dicit? Iris, apud

1. .... Non cura laborque
Noster scire valet, nisi quod vulgata per orbem
Fabula pro vera decepit sæcula causa. (Lib. IX, v. 621-623.)
2. Lib. IX, v. 688.

Virgilium, deorum mandata perfert; apud Lucanum fit diabetes[1]. Num fabulæ præstat docta enodatio?

Annæus quadam Aristotelis sententia intemperanter uti videtur : « Debes, in tragœdia, mira adhibere; magis vero conceduntur in epico carmine incredibilia : quia non videmus ea coram nobis fieri[2]. » Hujusmodi consilium, quod jam in carmine de rebus antiquis scripto sequi difficile est, Pharsaliæ, id est, recenti de æqualibus poemati, minime congruit. Lucanus autem vividæ mentis fecunditati solum paret : fabulas, etsi falsas, dummodo pulchræ sint, ac copiosam miramque materiam ingenio commodent, piè colligit et amplificat[3]. Insolita, incredibilia amat; divinis portentis, quæ obsoleta esse videantur, nova, et, ut ita dicam, humana miracula subjicit : duo tela simul militem vulnerant : uno transfoditur dorsum, altero pectus :

Medio concurrit pectore ferrum,
Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum[4].

Miles serpentem hasta ad terram defigit :

Velox currit per tela venenum,
Invaditque manum[5].

1. Lib. IV, v. 79, sqq.
2. *Ars poetica*, cap. XXV, 3.
3. Cf. lib. IV, v. 593-653.
4. Lib. III, v. 588-591.
5. Lib. IX, v. 829.

Anguis, nomine Jaculus, Paullum petit, magna vi in eum immittitur,

> Perque caput Paulli transactaque tempora fugit [1].

Nec incredibilia ipsa satis vatem juvant : quæ fieri nullo modo possunt, ea demum juniori placent poetæ. Miles quidam totum Pompeii exercitum solus arcet, innumeris telis transfigitur,

> Nec quidquam vitalibus obstat
> Jam præter stantes in summis ossibus hastas [2].

Hæc, atque talia alia invenit Lucanus, quibus conjunctis, hocce colligi potest : non equidem hic vel Homerica vel Virgiliana de divinis doctrina invenitur : cui quum non satis crederet, Lucanus aliquid novi subjicere tentavit, nec cuilibet alii imitandum : miracula, quæ diis negat, hominibus concedit.

§ 3. — *De Visionibus, Inferis, Animoque.*

Lucanus ergo veteres fabulas refert : at statim addit :

> Si qua fidem meruit Superos mirata vetustas [3].

Item, defunctos apparere non persuasum habet;

1. Lib. IX, v. 824.
2. Lib. VI, v. 194-195.
3. Lib. III, v. 406; Cf.
 Ævi veteris custos famosa vetustas,
 Miratrixque sui... (Lib. IV, v. 654-655.)

in Pharsalia nulla, nisi Juliæ, umbra ostenditur : ipsa Julia non manifesta ostenditur, sed somnianti Pompeio obversatur. Quum vero jam multæ occurrant apud Homerum ac Maronem visiones, Annæus novum ac inauditum visi genus excogitare nititur, ut auditoribus exquisitam recitationem afferat. Julia, Pompeium terrens, carmini ad eventum festinanti non prodest, verum multa ac mira de Inferis indicia nobis affert. Terra scinditur :

Diri tum plena horroris imago
Visa caput mœstum per hiantes Julia terras
Tollere, et accenso furialis stare sepulcro [1].

Lucanus, aliquid novi quum reperire velit, mira, ne dicam stulta, fingit. Inferi, spreta fama, funditus evertuntur. Julia, Elysiis Campis expulsa, in Tartarum dejicitur, belli civilis pœnas datura [2]. Charon, cautus ac providus nauta, veterem cymbam tot umbris imparem esse secum ratiocinatus, classem parat :

Præparat innumeras puppes Acheruntis adusti
Portitor : in multas laxantur Tartara pœnas.
Vix operi cunctæ, dextra properante, sorores
Sufficiunt : lassant rumpentes stamina Parcas [3].

Ex quo calamitatem in Inferis accepit, Julia

1. Lib. III, v. 9-11.
2. Sedibus Elysiis, campoque expulsa piorum,
Ad Stygias, inquit, tenebras, manesque nocentes
Post bellum civile trahor.... (Lib. III, v. 12, sqq.)
3. Lib. III, v. 16-19.

Diræ sensus et verba assumit; Corneliæ maledicit, et « pellicem » accusat :

> Innupsit tepido pellex Cornelia busto[1] !

Miram translationem ! præsertim quum rogum, duos post annos, refrixisse credat lector.

« *Omnibus umbra locis adero* » Dido dixerat[2] : quid vero Julia? Propositi tenacior, nuntiat se securos rupturam somnos, ut

> Nullum vestro vacuum sit tempus amori,
> Sed teneat Cæsarque dies et Julia noctes[3] !

Postquam uxorius Pompeius priorem uxorem sic bacchantem frustra amplecti tentavit, excitatur, ac somniorum fidem secum disputat, obscurius :

> Quid, ait, vani terremur imagine visus ?
> Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
> Aut mors ipsa nihil[4].

Argumentum istud (in quo cæterum Seneca præisse verbis videtur[5]), licet minime valeat, Magnum tamen confirmat. — Anima cum corpore moriente, somniavi, ait Pompeius, nec reipsa mihi Julia apparuit; mors vero, si quam nostri partem servet, nullum mihi terrorem incutere debet. — Si vero post mortem aliquid superest, visio, quæ Magnum turbavit, vera videtur, nec

1. Lib. III, v. 22.
2. *Æneis*, lib. IV, v. 386.
3. Lib. III, v. 26-27.
4. Lib. III, v. 37-39.
5. *Troades*, v. 398 :
Post mortem nihil est, ipsaque mors nihil.

somni mendacium est : quare, uxoris minæ non irritæ cadunt.

Dilemma igitur istud, quod Pompeium reficit, vanum est. Argumenti vero pondus Annæus minimi facit; multas somniorum causas exponit[1], nulli assentitur, nedum somnia divinitus missa credat; nec Campos Elysios, nec Tartara, nec Manes curat. Omnia hæc, utpote poeta, curiose narrat : fabulas vero quas pueri, vivo Cicerone, jam ridebant, ipse ridet. In Tartaro Catilinam, Marium, Ceteghum, Drusos, Gracchos locat, in Campis vero Elysiis, Brutum, Decios, Camillum, Syllam, Scipionem, Catonemque, jubente vulgari fama[2] : Pompeii vero mortui animus

> Edita doctrina sapientum templa serena

petit. Nedum in Campis Elysiis majorum umbras adeat, sicut Sexto anquirenti vaticinatur cadaver ab Erichto ad vitam revocatum[3], animus

> Sequitur convexa Tonantis[4].

Tum semideos Manes cœli medio terræque invisit primum[5]; dein, quum Platonis doctrina, Lucano a Seneca tradita[6] poetæ non diutius placeat, Pompeii animus

1. Lib. VII, v. 19–24.
2. Lib. VI, v. 785–796.
3. Refer hæc solatia tecum....
   O Juvenis, placido Manes patremque domumque
   Exspectare sinu, regnique in parte serena
   Pompeiis servare locum... (Lib. VI, v. 802–805.)
4. Lib. IX, v. 49.
5. Lib. IX, v. 5, sqq.
6. « Proinde non est quod ad sepulcrum filii tui curras : pessima

Postquam se lumine vero
Implevit, stellasque vagas miratus, et astra
Fixa poli, vidit quanta sub nocte jaceret
Nostra dies, risitque sui ludibria trunci[1],

evolat, Thessaliæ rursus campos petit,

Et scelerum vindex in sancto pectore Bruti
Sedit, et invicti posuit se mente Catonis[2].

Pulchros esse versus non negabo : novam etiam animorum migrationis rationem callidam esse fatebor. Quæ vero Pompeii pars, quantulacumque sit, nunc superest? Solum Magni memoria servatur. Hic Epicuri doctrinam, addita brevi post mortem peregrinatione, sequitur Lucanus. Incredulus poeta neminem nisi incredulum profert : mulieres ipsæ quoque philosophantur. Cornelia, luctu et mœrore oppressa, in tanta fortunæ deformitate, ut atheos quilibet aliquid antiquæ suæ pietatis servasse vellet, Pompeium sequi cupit :

Jam nunc te per inane Chaos, per Tartara, conjux,
Si sunt ulla, sequar[3] !

Quotiescumque ipse loquitur Lucanus, ac propriam sibi de animo doctrinam profert, nullum in morte sensum esse asseverat : peculiarem animi immortalitatem impio militi imprecatur :

ejus et ipsi molestissima istic jacent, ossa cineresque, non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens fugit, et totus excessit, » etc. (Ad Marciam, cap. XXV.)

1. Lib. IX, v. 11-14.
2. Lib. IX, v. 18-19.
3. Lib. IX, v. 101-102.

Di tibi non mortem quæ cunctis pœna paratur,
Sed sensum post fata tuæ dent, Crastine, morti[1].

Fabulam ergo et rationem, religionem ac philosophiam temere ab Annæo misceri, jam videre est : repugnantia non componuntur, sed committuntur.

1. Lib. VII, v. 470-471.

CAPUT III

QUANTI APUD LUCANUM MOMENTI FUERIT ZENO.

§ 1. — *De Ideis numero deorum adscriptis.*

Manifestum nunc fecisse credo poeticos, ut ita dicam, deos a Lucano, utpote Epicuri discipulo, fusos fugatosque fuisse. Quid vero, utpote Stoicus, de numinibus sensit? Nonne Stoicorum deos in Pharsalia adhibere potuit?

Stoici enim, notioni, in hominum animo solum vigenti, propriam concedebant vitam, imo divinitatem : Virtus, Concordia, Libertas, tantam vim habere videbantur, ut non deus has regere crederetur, sed ipsæ numina fierent[1]. Inde, in Pharsalia Cato Libertatem alloquitur, et invocat :

> Tuumque Nomen, Libertas, et inanem prosequar umbram[2] !

Lucanus, deorum contemptor, acerrime tamen Concordiam precatur :

1. « Vides Virtutis templum? Quid Opis? Quis Salutis? Quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? Quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi posset, ipsa res deorum nomen obtinuit. » (Cicero, *De natura deorum*, lib. II, cap. XXIII, 61.)
2. Lib. II, v. 302.

Nunc ades, æterno complectens omnia nexu
O rerum, mixtique salus, Concordia, mundi,
Et sacer orbis amor [1].

Inde Gentes ipsæ, et Urbes per se vivere credebantur [2].

Apud Lucanum igitur, Patria (ad quam « summi numinis instar » precatus erat ipse vates [3]) Cæsari adstans, Romanis placere debebat. Cæsari, quum jam in eo est ut Rubiconem transeat, Roma apparere, ac, quominus longius eat prohibere *videtur* :

Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,
Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui [4].

Felicem locum et Romanæ majestatis plenum esse concedam; poeta vero cur meram fabulam, ac poeticum dolum hic esse extemplo fatetur? Imago ne evanescit quidem : unde patet Cæsarem non Patriæ sed conscientiæ objurganti respondere.

Quare, hæc nova numina, quæ in locum epicorum deorum a Lucano supponuntur, quamvis crines, vox, lacertique concedantur eis, non vivunt.

1. Lib. IV, v. 189-191.
2. Hæc doctrina ita invaluerat, ut C. Plinius Cæcilius narret Africam Curtio Rufo apparuisse, ac dignam rem esse quæ diu multumque consideretur, existimet. (*Epist.*, lib. VII, ep. 27, 1-2, et 15.)
3. Lib. I, v. 199.
4. Lib. I, v. 186-190.

Ipsa Fortuna, etsi non secundas partes in Pharsalia agit, dea involuta est, vel, si plus placet, obscurum verbum. Num isto nomine significatur fors, vel, cæca potestas, fatum? At futuras res aliquando nuntiat :

> Non tamen abstinuit venturos prodere casus
> Per varias Fortuna notas [1].

Levitati ac libidinibus ita indulget, ut, nonnunquam, vel amicos suos vexet [2]. Quid vero? « Fortuna » nec fatum nec providentiam significari manifestum est; huic voci quæ sententia subjicienda est? Si judici haud levi credendum est, « hæc Fortuna sæpe æmula deorum exstat : dii fortunaque vicissim apparent, jubente numero. Lucanus nunc numinibus nunc fato credit plerumque prout vel dactylo opus est, vel spondeo [3] ».

Hujusmodi enodatio, quamvis lepida sit, non vera videtur : reipsa Lucanus omnia fato fieri credit, et, repugnantes doctrinas, hoc verbo, quod simul divinum numen, ac Fortem significet, prætexto, conciliare nititur.

Lucanus, Senecæ discipulus, Stoicorum deo summum credebat, scilicet Æternæ Rationi, Mundi Animo, Fato etiam, rerumque futurarum necessitati, ut ait Cicero [4]. Hujusmodi deus, cui

1. Lib. VII, v. 151-152.
2. Lib. IV, v. 121-122.
3. D. Nisard, *lib. cit.*, t. II, p. 112.
4. « Fatalem vim, et necessitatem rerum futurarum. » (*De natura deorum*, I, 15.) Quidam legunt non *vim* sed *umbram*.

propria desit persona, humanas res curare non potest : hunc tamen fac a poeta induci. Quid ad legentis delectationem?

Jampridem poetæ Fatum hominibus imperans hominesque Fati imperium recusantes haud injucunde cecinerant. Pharsaliæ vero præcipue congruebat Fati necessitas, quæ revera Romanam historiam tunc regere videatur. Donec Romana potestas coalescebat, bellisque imperium augebatur, Romani, suis impulsi virtutibus, sibimetipsis suas victorias acceptas referendas esse mire intelligebant. Tempore vero quo Roma, secum ipsa discors, civilibus bellis opprimitur, tunc homines non jam agere, sed agi videntur. Cæca quædam potestas eventus regit, gentemque togatam pecudis ritu ducit, dum frustra haud multi viri renituntur, latisque minores, latis tamen obluctantur. Nonne felicem canendi materiam sic Lucano commodari patet? Heros quilibet, diu cum fatis adversis conflictatus, etsi demum vincitur, tamen lectorem movere potest. Ut, multitudo, e ripa natantis laborem spectans, hominem, validiori flumine raptum, jamque lassatum et certæ morti addictum, tamen usque ad extremum tempus prosequitur votis, et opem insperatam sperat, ita, lector, quamvis hunc historia doceat frustra Pompeium Catonemque fatis et Cæsari obstitisse, nihilominus poetæ, Pompeii Fatorumque certamen narranti, ad imum, indefesso studio, usque faveret.

Hoc argumentum Annæus primum arripere videtur :

> Fert animus causas tantarum expromere rerum,
> Immensumque aperitur opus, quid in arma furentem
> Impulerit populum, quid pacem excusserit orbi :
> Invida fatorum series... [1].

Cur vero fatis quamdam invidiam tribuit? Unde hujusmodi fatum, non jam cæcum ac necessarium, sed libidinibus inserviens suis? Vix ineunte carmine, confunditur animus legentis : homines, quos agentes videbimus, non integram agendi libertatem servant, qui Necessitati inserviant. Rursus Necessitas non est, verum nescio quæ Potestas, invida, ac Romanis inimica. Quid sit Fatum, utrum deorum voluntati obtemperet, an diis ipsis majus sit, ignorat Lucanus[2]. Num prætexto Fatorum nomine, reipsa Dii Romæ irascuntur? Verum Dii vix apparent in Pharsalia, vel potius a poeta in jus vocantur.

Inde colligi potest spem nostram rursus ad irritum cecidisse. Ipse Cæsar, quamvis victor sit, non ipsa fata vincit, at

> ... Pugnavit Fortuna ducis fatumque nocentis
> Ægypti[3]...

Nomina vero hic concertare dicas, non homines deosque.

1. Lib. I, v. 67-70.
2. Sive canit fatum, seu quod jubet ipse canendo,
Fit fatum. (Lib. V, v. 92.)
3. Lib. X, v. 2.

§ 2. — *De Catone.*

Cæterum, in Pharsalia, non is est qui fatis resistere queat Pompeius, plerumque incertus consilii, ac mollis. Hanc pugnam restituit Cato, Pompeianæ auctoritatis[1], mentis etiam hæres[2]. Brutus enim tertias partes summum agit : quamvis satis per se valeat, Catonem quum alloquitur, discipuli magistrum interrogantis obsequium præ se fert[3]. Haud dubie Cato primas in Pharsalia tenet (ut jam notatum est[4]), quanquam nonus poematis liber solum huic impertitur. Erga Catonem gentilis Lucano est observantia[5] : Seneca Catonem vere sapientem fuisse jam monstraverat[6]; in locum commentitii Græcorum Herculis Romani Romanum subrogaverant, nec mirum. Cato igitur apud Senecam fit stoicæ sapientiæ exemplar.

1. « Uni parere decebit, Si faciet partes pro libertate, Catoni » ait Pompeius, lib. IX, v. 96.

2. Ut supra vidimus, Pompeii animus « scelerum vindex in sancto pectore Bruti Sedit, et invicti posuit se mente Catonis » (lib. IX, v. 17-18.)

3. « Tu mente labantem Dirige me, dubium certo tu robore firma. Namque alii Magnum vel Cæsaris arma sequantur : Dux Bruto Cato solus erit. » (Lib. II, v. 244-247.)

4. Thamin, *lib. cit.*, p. 255.

5. Hic Lucanus cuidam Senecæ præcepto obsequi videtur : « Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus præcipit..... Aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat... Elige itaque Catonem, etc. » (Epist. XI). Cf. C. Martha, *Les moralistes*, p. 73-74.

6. « Catonem... certius exemplar sapientis viri nobis Deos immortales dedisse, quam Ulyssem et Herculem prioribus sæculis. » (*De constantia sapientis*, cap. II, § 1, sqq.)

Apud Lucanum tamen novus apparet Cato : neminem enim poeta imitatur, hujusque rei lectorem certiorem subinde facit. Exempli gratia, Flaccus, Stoicorum sapienti, id est, ut opinor, Catoni alludens, dixerat : « *Si fractus illabatur orbis*, *Impavidum ferient ruinæ*[1]. » In Pharsalia contra his verbis Cato contradicere videtur :

> Sidera quis mundumque velit spectare cadentem
> Expers ipse metu[2]?

Lucanum Flacci ampullas projicere quis non miretur?

Senecam item Lucanus non imitatus est, sed superavit. Philosophus enim Zenonem sequitur, nec præterit; Catonem Deo simillimum factum esse, præcipueque a Deo diligi solum declarat : « Non video, *inquit*, quid habeat in terris Jupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, jam partibus non semel fractis, stantem nihilominus inter ruinas publicas rectum, etc.[3]. »

Apud Lucanum Cato longius progreditur, nec cæteris mortalibus modo præstat : imo fit deus.

Primum, rigidæ virtutis rigidus est satelles. — Interdum equidem stoicam animi tranquillitatem non servat; classi Corneliam vehenti inesse Cæsarem credit :

1. *Carmina*, lib. III, c. 3, v. 1-8.
2. Lib. II, v. 289-290.
3. *De providentia*, cap. II, § 6.

> Ast illæ puppes luctus planctusque ferebant
> Et mala vel duri lacrimas motura Catonis [1].

— Quid vero ad rem? Apud poetam sæpius sibi discrepantem Catonem a se ipso dissidere minime mirandum est. Rursus, poeta Catonis leve delictum excusat, cui ignoscerent vel gravissimi Romanorum, quod Plutarchus indicat [2], quod ipse Seneca confitetur [3]. Lucanus vero ne minorem quidem hanc notam Catoni hærere patitur :

> Huic epulæ vicisse famem [4]!

Non solum non vino indulget, sed aquam etiam, in Libyæ desertis a milite oblatam, effundit [5].

Exceptis igitur lacrimis, quas supra memoravi, semper sibi constat Cato, et doctrinæ tenorem servat. Ex quo « tolli feralia arma » viderat,

> Intonsos rigidam in frontem descendere canos
> Passus erat, mœstamque genis increscere barbam [6].

Nec horridum Stoicorum habitum solum præ se fert : discipulos ipse quoque docet. Hunc, ut antea vidimus, Brutus, consilii expers, quid agendum sit rogat : miles quoque Catoni famulatur [7], nec

1. Lib. IX, v. 49.
2. Προϊόντι δὲ τῷ χρόνῳ μάλιστα προσίετο πίνειν, ὥστε πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον, κ. τ. λ. (Κάτων, cap. VI.)
3. « Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. » (*De tranquillitate animi*, cap. XV, § 11.) Cæterum addit : « Catoni ebrietas objecta est; facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. » (*Ibid.* § 15).
4. Lib. II, v. 384.
5. Lib. IX, v. 498-510.
6. Lib. II, v. 374.
7. « Tullo, Magnanimo juveni, miratorique Catonis. » (Lib. IX, v. 807.)

mirum : constat Deos illi futura aperire[1], illum ducere[2].

Cato ipse deum, qui terram pontumque ac cœlum impleat, sapientibus quoque inesse, persuasum habet : « Estne Dei sedes... nisi virtus[3]? » Eadem igitur cupit homo, quæ Deus :

Hæremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte Dei[4].

Ergo, e pectore veri pleno[5], sacroque[6], profluunt non verba, qualia homines dant, sed oracula :

Ille, Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces[7].

Hactenus, bene se res habet : Lucanus vero nil dictum reputans, si quid turgidi supersit dicendum, Catonem numero deorum adscribit. Cato enim ex pari cum diis vivit; oracula non magni facit : imo, utrum hominibus verum dicant, necne, non curat; et, quamvis Catoni Labienus suadeat ut « cum Jove loquatur[8] » stoicus heros hujusmodi preces consiliaque respuit; templum ne introit quidem, et inceptum iter pergit,

1. « Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
Dicturosque magis quam sancto vera Catoni. »
(Lib. IX, v. 554.)
2. « Sequerisque deum. » (V. 557.)
3. Lib. IX, v. 578.
4. Lib. IX, v. 574.
5. Lib. IX, v. 188.
6. Lib. IX, v. 255.
7. Lib. IX, v. 564. Cf. :
« Arcano sacras reddit Cato pectore voces. »
(Lib. II, v. 285.)
8. Lib. IX, v. 557.

Non exploratum populis Hammona relinquens[1].

Herois tanta est virtus, ut culpa, a Catone admissa, diis noxiæ sit : nam, ut ait ipse Cato :

Crimen erit Superis et me fecisse nocentem[2].

Cato denique solus omnes deos adæquat : notissimi hic laudandi sunt versus, quibus Lucanus non libidini suæ, nec auditorum voluptati inservit, sed doctrinam suam ad imum observat :

Quis justius induit arma
Scire nefas : magno se judice quisque tuetur :
Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni[3].

Cato enim in Pharsalia consecratur, ac, Jovi ipsi vel Marti suffectus, deus patrius et indiges fit :

Urbi pater est, Urbique maritus[4].

Quamvis verba inter se haud bene cohæreant, hic vatis animum erigi patet. Eadem cæterum, nec jam declamitans, iterat Lucanus, in loco feliciore :

Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris,
Roma, tuis, per quem nunquam jurare pudebit,
Et quem, si steteris unquam cervice soluta,
Nunc olim factura Deum[5].

Divinas profecto in Pharsalia partes agit heros. Imo, mirabundus aliquot de Catone versus apud

1. Lib. IX, v. 586.
2. Lib. II, v. 288.
3. Lib. I, v. 126.
4. Lib. II, v. 388.
5. Lib. IX, v. 601.

Lucanum inveni, quibus inesse aliquid novi videtur. Cato non solum divinum stoicæ humanæque sapientiæ exemplar fit, verum etiam antiquis numinibus divinior evadit. Hercle, non in antiquorum grammaticorum de Marone errorem est incidendum, nec ullo modo aliquid christianæ doctrinæ in Pharsalia reperiri asseverandum est : amicus Lucanus, sed magis amica veritas.

Hoc unum confirmandum curo : jampridem in Porticu Deum unicum esse ac bonum credebatur; verum, quanquam jamdiu homo, ipse melior factus, deos quoque meliores fingere nisus erat, quis unquam inter poetas vel philosophos deum Catoni nostro præstantem creaverat? Populo Romano laboranti opitulatur : imo, defuncto Pompeio,

...Populi trepidantia membra refovit[1].

Propriæ utilitatis oblitus, publicis commodis inservit :

...Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo[2]!

Decios domum sese devoventes vincit; nam, non solum pro patria moritur, verum etiam pro gentibus universis : quin etiam, Romanorum delicta expendere vellet :

Hic redimat sanguis populos : hac cæde luatur
Quidquid Romani meruerunt pendere mores[3].

1. Lib. IX, v. 25.
2. Lib. II, v. 383.
3. Lib. II, v. 312.

Felicem locum, cujusque gratia multæ Lucano condonandæ sunt ampullæ. Hic prope perfectus est Noster, quia gravis severusque est, nec quemadmodum deos simul et poetico more memorabat et Epicuro inserviens improbabat, Catonem hæc loquentem incredulus ridensque audit. Lucano decori erit primum in epicum carmen Zenonis doctrinam inseruisse : Zenoni Stoicisque, poematis majestatem amplificavisse.

Attamen fatendum est apud Lucanum pietatem, a Lucretio obtritam, a Seneca non restitutam fuisse. Deos, ab Epicuro relegatos, Zeno ipse revocare non potuit.

Lucanum quidem fatebor jam in eo esse ut credat deos non immortales sed æternos esse :

Si numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est cœpisse deorum[1].

Dii, non jam hominibus naturæ arcana invident, Hammonis sacerdoti si credendum est :

Sit pietas aliis miracula tanta silere :
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges[2].

Imo de omnipotenti Stoicorum deo loquitur Lucanus[3], loquitur ipse Cato[4].

Verum ne minimæ quidem rei inseritur Stoicorum Jupiter. Ut supra deorum ministeriis Luca-

1. Lib. VIII, v. 458.
2. Lib. X, v. 196-198.
3. Lib. V, v. 93-96.
4. Lib. VII, v. 348; lib. IX, v. 578.

num humana miracula, id est mira hominum facinora antehabere, lectorem admonuimus, ita Virtutem Æternam Catonis virtuti postponi notandum est : deserto Jovis solio insidet Cato.

CAPUT IV

QUID DE FUTURI SCIENTIA SENTIAT LUCANUS.

§ 1. — *Lucanus nec Epicuri nec Zenonis doctrinam de fato sequitur.*

Non nihil momenti habent in Pharsalia auguria, oracula, et magicæ artes. Hæc omnia quum narrat Lucanus, Stoicorum Epicureorumque castra deserit, et cujuslibet disciplinæ impatiens, famam fabellasque aniles sequitur.

Si quis enim futura nosci posse credat, omnia, aut saltem nonnulla, fato fieri huic simul credendum est : certæ enim fatalesque res tantummodo prænuntiari possunt. Rursus si menti humanæ voluntatem liberam concedis, oracula vaticinationesque dilabuntur.

Porro Epicurus, quamvis hujus de natura et præcipue de atomorum motu præcepta libertati repugnent, certe fatorum vim negat, liberoque arbitrio assentitur, hominibus, opinor, libertatem tribuens, ut diis aliquid detrahat. Hac de re Lucretius magistri doctrinam non modo accipit, sed

etiam ornat et confirmat : imo, demonstrat hominem liberum esse, ac sui compotem : inde colligit atomorum clinamen necessarium esse[1]. Auguria igitur, secum ipse concors, parvi facit, oraculisque antehabet præcepta sapientum; qui

> Multa bene ac divinitus invenientes,
> Ex adyto tanquam cordis responsa dedere
> Sanctius, et multo certa ratione magis quam
> Pythia quæ tripodi a Phœbi lauroque profatur[2].

Atenim Stoici, fato credentes, divinationi fidem adjungere debebant. — Certe, ut supra vidimus, supremum Stoicorum deum, fato vel necessitati cohærere constat. Lucani patruus, omnia fato contineri declaraverat : « Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit... olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas... Quid est boni viri? præbere se fato[3]. » Ergo Lucanum, quoties oracula adhibeat, ac futura nosci posse declaret, Stoicorum doctrinæ assentiri, si summatim rem consideres, confici potest. Verum si diligentius Pharsaliam leges, videbis Annæum, spreta Senecæ, qui oracula tantum non respuat[4], auctoritate, oracula vel inutilia vel mendacia esse, secundum Stoici cujusdam sententiam, declarare. Cato ipse de vaticiniorum vanitate justam orationem habet, quæ cæteris poetarum de diis carmi-

1. *De natura*, lib. II, v. 251-287. Cf. C. Martha, *Le poème de Lucrèce*, cap. VI, p. 194, sqq.
2. Lib. I, v. 736-739.
3. *De providentia*, cap. V, §§ 5 et 6. Cf. C. Martha, *lib. cit.*, p. 194.
4. *Epist.* XCIV, § 28.

nibus præcellere olim declarabitur[1]. Cur Hammon, vera dicturus, in Libyæ arenis latitet, non percipit Cato :

> Sterilesne elegit arenas
> Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum[2]?

Ad hoc, Deum, qui ubique sit, quemdam angulum habitare, mirum videtur[3].

Non in templis, sed in intimo hominum pectore Deus habitat, et loquitur :

> Nec vocibus ullis
> Numen eget, dixitque semel nascentibus auctor
> Quidquid scire licet[4].

Inde futuri scientiam omnino improbari patet.

Lucanus, si philosophicæ doctrinæ tenorem servare voluisset, oracula silentio prætermittere debuisset, sive, utpote Epicureus, potiorem his libertatem humanam haberet, sive stoicam superbiam præ se ferens, divum responsa fastidiret. Verum in horas mutatur levior poeta, nec alterutri doctrinæ adnumerandus est, at, mutatis mutandis, inter homines, qui ab ipso Lucano dubii dicuntur ac ancipites[5], reponendus.

1. « Mettez ensemble tout ce que les anciens poètes ont dit des dieux, ce sont des discours d'enfants en comparaison de ce morceau de Lucain. » (Voltaire, *Dictionnaire philosophique*, Epopée.) « Le plus bel endroit qui soit dans Lucain et peut-être dans aucun poète est le discours de Caton, dans lequel ce stoïque ennemi des fables dédaigne d'aller voir le temple de Jupiter Hammon. » (*Essai sur la poésie épique*, cap. IV.)

2. Lib. IX, v. 576.

3. Estne dei sedes, nisi terra, et pontus, et aer,
   Et cœlum? (Lib. IX, v. 578.)

4. Lib. IX, v. 574.

5. Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
   Casibus ancipites. (Lib. IX, v. 581.)

Hac de re, Lucanus primum, spreta philosophia, religionem sequitur; dein, spreta ipsa religione, superstitioni adhæret.

§ 2. — *De Auguriis et Auguribus.*

Dii, etsi alligati et impediti, imo, etsi futura vix noscunt[1], tamen hominibus fata, nulli mutanda[2], significant, non nemine intercedente, scilicet auguribus.

Non quoslibet curant fata, fatorumque interpretes, sed

> Summos hominum quorum Fortuna per orbem
> Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit[3].

Magni eventus totum cœlum occupant :

> Si cuncta perito
> Augure mens hominum cœli nova signa notasset,
> Spectari toto potuit Pharsalia mundo[4].

Cæsarem, Italiam intrantem, denuntiant portenta, quæ Lucanus copiose narrat[5]; notissima prodigia hic invenias, stellarum trajectiones, cometam, fulgura cœlo sereno, astra diu visa,

1. Miseroque liquebat
Scire parum Superos. (Lib. VI, v. 433-434.)
2. Fixa canens mutandaque nulli
Mortales optare vetat (numen).
(Lib. V, v. 105.)
3. Lib. VII, v. 205.
4. Lib. VII, v. 202-204.
5. Lib. I, v. 524-583.

Ast illæ puppes luctus planctusque ferebant
Et mala vel duri lacrimas motura Catonis [1].

— Quid vero ad rem? Apud poetam sæpius sibi discrepantem Catonem a se ipso dissidere minime mirandum est. Rursus, poeta Catonis leve delictum excusat, cui ignoscerent vel gravissimi Romanorum, quod Plutarchus indicat [2], quod ipse Seneca confitetur [3]. Lucanus vero ne minorem quidem hanc notam Catoni hærere patitur :

Huic epulæ vicisse famem [4]!

Non solum non vino indulget, sed aquam etiam, in Libyæ desertis a milite oblatam, effundit [5].

Exceptis igitur lacrimis, quas supra memoravi, semper sibi constat Cato, et doctrinæ tenorem servat. Ex quo « tolli feralia arma » viderat,

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam [6].

Nec horridum Stoicorum habitum solum præ se fert : discipulos ipse quoque docet. Hunc, ut antea vidimus, Brutus, consilii expers, quid agendum sit rogat : miles quoque Catoni famulatur [7], nec

1. Lib. IX, v. 49.
2. Προϊόντι δὲ τῷ χρόνῳ μάλιστα προσίετο πίνειν, ὥστε πολλάκις ἐν οἴνῳ διάγειν εἰς ὄρθρον, κ. τ. λ. (Κατων, cap. VI.)
3. « Cato vino laxabat animum, curis publicis fatigatum. » (*De tranquillitate animi*, cap. XV, § 11.) Cæterum addit : « Catoni ebrietas objecta est; facilius efficiet, quisquis objecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem. » (*Ibid.* § 15).
4. Lib. II, v. 384.
5. Lib. IX, v. 498-510.
6. Lib. II, v. 374.
7. « Tullo, Magnanimo juveni, miratorique Catonis. » (Lib. IX, v. 807.)

mirum : constat Deos illi futura aperire[1], illum ducere[2].

Cato ipse deum, qui terram pontumque ac cœlum impleat, sapientibus quoque inesse, persuasum habet : « Estne Dei sedes... nisi virtus[3]? » Eadem igitur cupit homo, quæ Deus :

Hæremus cuncti Superis, temploque tacente
Nil facimus non sponte Dei[4].

Ergo, e pectore veri pleno[5], sacroque[6], profluunt non verba, qualia homines dant, sed oracula :

Ille, Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas adytis e pectore voces[7].

Hactenus, bene se res habet : Lucanus vero nil dictum reputans, si quid turgidi supersit dicendum, Catonem numero deorum adscribit. Cato enim ex pari cum diis vivit; oracula non magni facit : imo, utrum hominibus verum dicant, necne, non curat; et, quamvis Catoni Labienus suadeat ut « cum Jove loquatur[8] » stoicus heros hujusmodi preces consiliaque respuit; templum ne introit quidem, et inceptum iter pergit,

1. « Nam cui crediderim Superos arcana daturos,
Dicturosque magis quam sancto vera Catoni. »
(Lib. IX, v. 554.)
2. « Sequerisque deum. » (V. 557.)
3. Lib. IX, v. 578.
4. Lib. IX, v. 574.
5. Lib. IX, v. 188.
6. Lib. IX, v. 255.
7. Lib. IX, v. 564. Cf. :
« Arcano sacras reddit Cato pectore voces. »
(Lib. II, v. 285.)
8. Lib. IX, v. 557.

> Non exploratum populis Hammona relinquens [1].

Herois tanta est virtus, ut culpa, a Catone admissa, diis noxiæ sit : nam, ut ait ipse Cato :

> Crimen erit Superis et me fecisse nocentem [2].

Cato denique solus omnes deos adæquat : notissimi hic laudandi sunt versus, quibus Lucanus non libidini suæ, nec auditorum voluptati inservit, sed doctrinam suam ad imum observat :

> Quis justius induit arma
> Scire nefas : magno se judice quisque tuetur :
> Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni [3].

Cato enim in Pharsalia consecratur, ac, Jovi ipsi vel Marti suffectus, deus patrius et indiges fit :

> Urbi pater est, Urbique maritus [4].

Quamvis verba inter se haud bene cohæreant, hic vatis animum erigi patet. Eadem cæterum, nec jam declamitans, iterat Lucanus, in loco feliciore :

> Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris,
> Roma, tuis, per quem nunquam jurare pudebit,
> Et quem, si steteris unquam cervice soluta,
> Nunc olim factura Deum [5].

Divinas profecto in Pharsalia partes agit heros. Imo, mirabundus aliquot de Catone versus apud

1. Lib. IX, v. 586.
2. Lib. II, v. 288.
3. Lib. I, v. 126.
4. Lib. II, v. 388.
5. Lib. IX, v. 601.

Lucanum inveni, quibus inesse aliquid novi videtur. Cato non solum divinum stoicæ humanæque sapientiæ exemplar fit, verum etiam antiquis numinibus divinior evadit. Hercle, non in antiquorum grammaticorum de Marone errorem est incidendum, nec ullo modo aliquid christianæ doctrinæ in Pharsalia reperiri asseverandum est : amicus Lucanus, sed magis amica veritas.

Hoc unum confirmandum curo : jampridem in Porticu Deum unicum esse ac bonum credebatur; verum, quanquam jamdiu homo, ipse melior factus, deos quoque meliores fingere nisus erat, quis unquam inter poetas vel philosophos deum Catoni nostro præstantem creaverat? Populo Romano laboranti opitulatur : imo, defuncto Pompeio,

> ...Populi trepidantia membra refovit [1].

Propriæ utilitatis oblitus, publicis commodis inservit :

> ...Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo [2]!

Decios domum sese devoventes vincit; nam, non solum pro patria moritur, verum etiam pro gentibus universis : quin etiam, Romanorum delicta expendere vellet :

> Hic redimat sanguis populos : hac cæde luatur
> Quidquid Romani meruerunt pendere mores [3].

1. Lib. IX, v. 25.
2. Lib. II, v. 383.
3. Lib. II, v. 312.

Felicem locum, cujusque gratia multæ Lucano condonandæ sunt ampullæ. Hic prope perfectus est Noster, quia gravis severusque est, nec quemadmodum deos simul et poetico more memorabat et Epicuro inserviens improbabat, Catonem hæc loquentem incredulus ridensque audit. Lucano decori erit primum in epicum carmen Zenonis doctrinam inseruisse : Zenoni Stoicisque, poematis majestatem amplificavisse.

Attamen fatendum est apud Lucanum pietatem, a Lucretio obtritam, a Seneca non restitutam fuisse. Deos, ab Epicuro relegatos, Zeno ipse revocare non potuit.

Lucanum quidem fatebor jam in eo esse ut credat deos non immortales sed æternos esse :

Si numina nasci
Credimus, aut quemquam fas est cœpisse deorum[1].

Dii, non jam hominibus naturæ arcana invident, Hammonis sacerdoti si credendum est :

Sit pietas aliis miracula tanta silere :
Ast ego cœlicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et sacras populis notescere leges[2].

Imo de omnipotenti Stoicorum deo loquitur Lucanus[3], loquitur ipse Cato[4].

Verum ne minimæ quidem rei inseritur Stoicorum Jupiter. Ut supra deorum ministeriis Luca-

1. Lib. VIII, v. 458.
2. Lib. X, v. 196-198.
3. Lib. V, v. 93-96.
4. Lib. VII, v. 348; lib. IX, v. 578.

num humana miracula, id est mira hominum facinora antehabere, lectorem admonuimus, ita Virtutem Æternam Catonis virtuti postponi notandum est : deserto Jovis solio insidet Cato.

CAPUT IV

QUID DE FUTURI SCIENTIA SENTIAT LUCANUS.

§ 1. — *Lucanus nec Epicuri nec Zenonis doctrinam de fato sequitur.*

Non nihil momenti habent in Pharsalia auguria, oracula, et magicæ artes. Hæc omnia quum narrat Lucanus, Stoicorum Epicureorumque castra deserit, et cujuslibet disciplinæ impatiens, famam fabellasque aniles sequitur.

Si quis enim futura nosci posse credat, omnia, aut saltem nonnulla, fato fieri huic simul credendum est : certæ enim fatalesque res tantummodo prænuntiari possunt. Rursus si menti humanæ voluntatem liberam concedis, oracula vaticinationesque dilabuntur.

Porro Epicurus, quamvis hujus de natura et præcipue de atomorum motu præcepta libertati repugnent, certe fatorum vim negat, liberoque arbitrio assentitur, hominibus, opinor, libertatem tribuens, ut diis aliquid detrahat. Hac de re Lucretius magistri doctrinam non modo accipit, sed

etiam ornat et confirmat : imo, demonstrat hominem liberum esse, ac sui compotem : inde colligit atomorum clinamen necessarium esse[1]. Auguria igitur, secum ipse concors, parvi facit, oraculisque antehabet præcepta sapientum; qui

> Multa bene ac divinitus invenientes,
> Ex adyto tanquam cordis responsa dedere
> Sanctius, et multo certa ratione magis quam
> Pythia quæ tripodi a Phœbi lauroque profatur[2].

Atenim Stoici, fato credentes, divinationi fidem adjungere debebant. — Certe, ut supra vidimus, supremum Stoicorum deum, fato vel necessitati cohærere constat. Lucani patruus, omnia fato contineri declaraverat : « Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit... olim constitutum est quid gaudeas, quid fleas... Quid est boni viri? præbere se fato[3]. » Ergo Lucanum, quoties oracula adhibeat, ac futura nosci posse declaret, Stoicorum doctrinæ assentiri, si summatim rem consideres, confici potest. Verum si diligentius Pharsaliam leges, videbis Annæum, spreta Senecæ, qui oracula tantum non respuat[4], auctoritate, oracula vel inutilia vel mendacia esse, secundum Stoici cujusdam sententiam, declarare. Cato ipse de vaticiniorum vanitate justam orationem habet, quæ cæteris poetarum de diis carmi-

1. *De natura*, lib. II, v. 251-287. Cf. C. Martha, *Le poème de Lucrèce*, cap. VI, p. 194, sqq.
2. Lib. I, v. 736-739.
3. *De providentia*, cap. V, §§ 5 et 6. Cf. C. Martha, *lib. cit.*, p. 194.
4. *Epist.* XCIV, § 28.

nibus præcellere olim declarabitur[1]. Cur Hammon, vera dicturus, in Libyæ arenis latitet, non percipit Cato :

> Sterilesne elegit arenas
> Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum[2] ?

Ad hoc, Deum, qui ubique sit, quemdam angulum habitare, mirum videtur[3].

Non in templis, sed in intimo hominum pectore Deus habitat, et loquitur :

> Nec vocibus ullis
> Numen eget, dixitque semel nascentibus auctor
> Quidquid scire licet[4].

Inde futuri scientiam omnino improbari patet.

Lucanus, si philosophicæ doctrinæ tenorem servare voluisset, oracula silentio prætermittere debuisset, sive, utpote Epicureus, potiorem his libertatem humanam haberet, sive stoicam superbiam præ se ferens, divum responsa fastidiret. Verum in horas mutatur levior poeta, nec alterutri doctrinæ adnumerandus est, at, mutatis mutandis, inter homines, qui ab ipso Lucano dubii dicuntur ac ancipites[5], reponendus.

1. « Mettez ensemble tout ce que les anciens poètes ont dit des dieux, ce sont des discours d'enfants en comparaison de ce morceau de Lucain. » (Voltaire, *Dictionnaire philosophique*, ÉPOPÉE.) « Le plus bel endroit qui soit dans Lucain et peut-être dans aucun poète est le discours de Caton, dans lequel ce stoïque ennemi des fables dédaigne d'aller voir le temple de Jupiter Hammon. » (*Essai sur la poésie épique*, cap. IV.)
2. Lib. IX, v. 576.
3. Estne dei sedes, nisi terra, et pontus, et aer,
   Et cœlum? (Lib. IX, v. 578.)
4. Lib. IX, v. 574.
5. Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
   Casibus ancipites. (Lib. IX, v. 581.)

Hac de re, Lucanus primum, spreta philosophia, religionem sequitur; dein, spreta ipsa religione, superstitioni adhæret.

§ 2. — *De Auguriis et Auguribus.*

Dii, etsi alligati et impediti, imo, etsi futura vix noscunt[1], tamen hominibus fata, nulli mutanda[2], significant, non nemine intercedente, scilicet auguribus.

Non quoslibet curant fata, fatorumque interpretes, sed

> Summos hominum quorum Fortuna per orbem
> Signa dedit, quorum fatis cœlum omne vacavit[3].

Magni eventus totum cœlum occupant :

> Si cuncta perito
> Augure mens hominum cœli nova signa notasset,
> Spectari toto potuit Pharsalia mundo[4].

Cæsarem, Italiam intrantem, denuntiant portenta, quæ Lucanus copiose narrat[5]; notissima prodigia hic invenias, stellarum trajectiones, cometam, fulgura cœlo sereno, astra diu visa,

1. Miseroque liquebat
Scire parum Superos. (Lib. VI, v. 433-434.)
2. Fixa canens mutandaque nulli
Mortales optare vetat (numen).
(Lib. V, v. 105.)
3. Lib. VII, v. 205.
4. Lib. VII, v. 202-204.
5. Lib. I, v. 524-583.

lunam deficientem; horum tamen teterrimum excogitasse videtur ipse Lucanus :

Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ [1].

Vocantur ergo Romam Arruns et Figulus, Etrusci. Arruns hostiam mactat,

Nec cruor emicuit solitus; sed vulnere largo
Diffusum rutilo nigrum pro sanguine virus [2].

Hunc locum, qui apud Maronem, in Pestilentia [3], ad naturam accommodatus videtur, apud Lucanum miramur.

Figulus, Patavino in colle sedens, Pharsalicam pugnam nuntiat :

Venit summa dies, geritur res maxima, dixit :
Impia concurrunt Pompeii et Cæsaris arma [4].

Quo modo augur futura dignoscere potuerit, quærit Lucanus, nec veram invenit causam : saltem

Dissimilem certe cunctis quos explicat, egit
Thessalicum natura diem [5].

Postquam hæc atque multa alia portenta, nemine jubente, renuntiavit, subito irascitur vates, Jovem ipsum interrogat, illique omnia hæc monstra crimini vertit :

Cur hanc tibi, Rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam,

1. Lib. I, v. 568.
2. Lib. I, v. 614-615.
3. *Georg.*, lib. III, v. 492-493.
4. Lib. VII, v. 195-196.
5. Lib. VII, v. 201.

Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum, quum primum informia regna,
Materiamque rudem, flamma cedente, recepit,
Fixit in æternum causas, qua cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, et secula jussa ferentem
Fatorum immoto divisit limite mundum;
Sive nihil positum est, sed Fors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, et habent mortalia casum:
Sit subitum, quodcumque paras: sit cæca futuri
Mens hominum fati: liceat sperare timenti[1].

Sic Lucanus primum, quippe poeta, omnia portenta quæ ab aliis vel narrata vel excogitata sunt, quæque ipse invenit, aggerat; dein, philosophicam induens abollam, deos, qui hominibus miseris futuri scientiam permiserint, aggreditur. Recte dicit, utpote philosophus; verum ægre coeunt apud eum philosophia ac poesis; quare prodigia, quæ a Lucano diis exprobrantur, lectorem nil juvant. Cæterum augures non semper vera canunt; et jubente Cæsare, audiunt, vel surdi stant[2].

§ 3. — *De Oraculis.*

Annæus diis nunc immodicam loquacitatem, nunc longius silentium objicit. Deorum responsa tradit primum, dein recognoscit, emendatque, vel absolvit:.

1. Lib. II, v. 4-15.
2. Nec cœlum servare licet: tonat augure surdo,
Et lætæ jurantur aves, bubone sinistro.
(Lib. V, v. 395.)

Tuque potens veri, Pæan, nullumque futuri
A Superis celate diem, suprema ruentis
Imperii, cæsosque duces, et funera regum,
Et tot in Hesperie collapsas sanguine gentes
Cur aperire times[1].

Lucanus non satis habet si aliorum verba referat : medium sermonem intercipit, ut deum exhortetur vel objurget, lectoremque admoneat rebus narratis non credendum esse :

Sacris se condidit antris
Incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo,

ait poeta, cui philosophus præcludens vocem :

Quis latet hic Superum ? quod numen ab æthere pressum
Dignatur cæcas inclusum habitare cavernas ?
Quis terram cœli patitur deus, omnia cursus
Æterni secreta tenens mundique futuri
Conscius, ac populis sese proferre paratus,
Contactumque ferens hominis[2] ?

Optime dicit Lucanus : deos enim, quo commodius hominibus futura aperiant, sic semetipsos defodere quis credat ? Cur vero, quum jam in eo est ut de subterraneo Delphorum oraculo dicat, fabulæ isti non confidi posse demonstrat ? Nonne materiam simul ac lectorem explodere videtur, dum deinde oraculorum silentia ingemit :

Non ullo sæcula dono
Nostra carent majore deum, quam Delphica sedes
Quod siluit[3].

1. Lib. V, v. 199-208.
2. Lib. V, v. 84-91.
3. Lib. V, v. 111-113.

Hæc verba, qualia gravis sacerdos coram populo loqueretur, Lucanus, ut supra vidimus, Catone loquente, refellit[1]. Verum, quum omnes homines non sint, Catonis instar « deo pleni[2] », at futura nesciant, fortunamque metuant, prosunt aliquando oracula. Appius, Achaiæ præfectus Sibyllam interrogat.

§ 4. — *De Sibylla.*

Postquam bacchantem in Pharsalia Phemonoen furentemque vidisti, si sextum Æneidos librum versas lenta manu, apparet mira diversitas. Lucanum, qui comparationem non timuerit, cum Virgilio compara : videbis quot et quanta istius ingenio, etsi robusto, desint, quantumque a vera dicendi canendique ratione abhorreat. Eventus non valde remotos, imo fere æquales describenti, sæpius occurrunt fabulæ antiquæ et obsoletæ, quibus uti non potest, quas vero renovare nescit. Virgilius contra præstat ingenio, præstat quoque faciliori materia; hunc præterita canentem, non lædit, imo adjuvat interdum « famosa vetustas[3] ». Exempli gratia, feliciter utitur gentili oraculo, cui adhuc credebatur, Cumæa Sibylla. Longæva sa-

1. Lib. IX, v. 566-579.
2. Lib. IX, v. 564.
3. *Pharsalia*, lib. IV, v. 654.

cerdos, majestatem Phæbo dignam præ se ferens, gentis romanæ patrem alloquitur : Sibyllæ responsum Æneida et ornat, et regit.

Apud Lucanum longe aliter se res habet. Appius, ignobilis Achaiæ præfectus, Delphicum oraculum adit : ne belli civilis eventum quidem explorare cupit, ut opinatur Valerius Maximus [1] : propriam sortem curat. Lector igitur Dei responsum, quod ad gregarium Pharsaliæ heroa spectet, parvi facit : salvo Appio, vel Appio morituro, uno tenore poema evolvitur : locus ergo, merum embolium, supervacaneus est : quem, invita Calliope, adhibuit Lucanus, poeticam diatyposim recitaturus, imo sextum Æneidos cantum oblitteraturus.

Non jam apparet veneranda sacerdos, anili quidem impotentia, augusta tamen, verum remissa Phemonoe. Circum Castaliæ latices deambulat, et tacita inter nemora reptat : otiosa sacerdos justitio fruitur [2], quam corripit Antistes, et in templum invitam rapit : longa dei silentia jam in eo sunt ut finem habeant, poetæ, non vero Sibyllæ, ingrata :

1. « Is, bello civili, quo se Cn. Pompeius a Cæsaris concordia, pestifero sibi nec reipublicæ utili consilio, abruperat, eventum gravissimi motus explorare cupiens, viribus imperii (Namque Achaiæ præerat), antistitem Delphicæ cortinæ in intimam sacri specus partem descendere coegit. » (Lib. I, cap. VIII, § 10.)

2. Nec voce negata
Cyrrhææ mœrent vates, cœlique fruuntur
Justitio.
(Lib. V, v. 114-116.)
Castalios circum latices nemorumque recessus
Phemonoen errare vagam, curisque vacantem.
(V. 125-126.)

Nam si qua Deus sub pectora venit,
Numinis aut pœna est mors immatura recepti,
Aut pretium [1].

Lucanus quidem hic famæ obsequitur, nec hispanico ingenio indulget : « Ut certæ consulentibus sortes petuntur, ita nimius divini spiritus haustus reddentibus pestifer existit [2]. » Veritatem vero, vel, si plus placet, acceptam traditionem amplificat. Phemonoe obscuro consultori impendere vitam non vult :

Absterrere ducem noscendi ardore futura
Cassa fraude parat,

et conticuisse Phœbum narrat, cineresque, templo ardente, Phœbi viam cohibuisse [3]. Dolo puerili [4] non decipitur præfectus Achaiæ, cui non satis vacat, ut Romam petat, et libros Sibyllinos, Phemonoe suadente [5], legat. Callidiorem tunc et necopinatam artem adhibens sacerdos, adytum non introit, et prima in parte templi, aut, ut melius dicam, in proscenio resistit, personam actura novam. In epico carmine comœdiam apparere patet : hinc Appius, auditor minime credulus, fraudem subodoratur : illinc Phemonoe, magna non sine Phœbi contumelia, furorem placida simulat, nec rem feliciter gerit :

1. Lib. V, v. 116-118.
2. Valer. Maximus, *loc. cit.*
3. Lib. V, v. 130-140.
4. ...Virginei patuere doli. (V. 141.)
5. Cyrrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmina longævæ vobis commissa Sibyllæ.
(V. 137-138.)

Nullo confusæ murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore...
... Non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri complere capacis
Sufficiens spatium [1].

Phœbus ipse comœdiæ societatem aspernatur,

Nulloque horrere comarum
Excussæ laurus, immotaque culmina templi,
Securumque nemus [2].

Tunc furente Appio, mortemque minante, virgo tandem tripoda ascendit, et invita divino spiritu afflatur. Nunc demum incipit tragœdia :

Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens... spargitque vaganti
Obstantes tripodas [3].

Abest vero divinus ille furor, quo, apud Virgilium, Sibyllam Cumæam instinctam videmus :

Non color unus,
Non comptæ mansere comæ ; sed pectus anhelum
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans [4].

Lectorem, salva majestate, terret Sibylla. Apud Lucanum vero, subit horror, misericordia quadam mixtus. Virgilius entheam sacerdotem pie contemplatur ; rabidam Phemonoen Lucanus dum canit, medici lymphatam mulierem scrutantis personam induit. Huic loco tamen insolitam,

1. V. 149-150, 152-154.
2. V. 154-156.
3. V. 169-170, 172-173.
4. *Æneis*, lib. VI, v. 47-50.

etsi secundæ notæ, pulchritudinem inesse fatendum est. Verum, quis erit finis? Phœbus sacerdotem non solum stimulat, velut in Æneide, verum etiam incendit[1]. Parturiunt montes, mus ridiculus nascitur : omnia enim sæcula sacerdoti apparent, primaque et ultima mundi dies; etiam

Numerus non deerat arenæ[2].

In tanta fatorum strage, Sibylla Appium « vix invenit »,

Inter fata diu quærens tam magna latentem[3].

Tandem « spumea rabies » erumpit. Phemonoe « mœstum ululatum » profert..... suamque Appio futuram sortem tanta calliditate narrat, ut Romanus contrariam veritati spem concipiat. Ergo poeta centum et sexaginta versus pepigit[4], denique ridendum ad exitum perventurus; ergo deus sacerdotem occidit, hominem novum ludificandi studio ! Cæterum Appius, vixdum scenam ingressus, evolat. At Lucanus divina responsa, quamvis ipse ea excogitaverit, miratur : cur jam silet Apollo?

Nondum numina tantum
Decrevere nefas ? et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur[5] ?

1. Ea frena furenti
Concutit, et stimulos sub pectore vertit Apollo.
(*Æneis*, lib. VI, v. 100.)
Nec verbere solo
Uteris, et stimulis; flammas in viscera mergis.
(*Pharsalia*, lib. V, v. 174-175.)

2. Lib. V, v. 182.
3. V. 189.
4. V. 65-224.
5. Lib. V, v. 203-205.

Supra vero vidimus « omne futurum niti in lucem[1] ». Poeta, istiusmodi crimen derivandi causa, ut opinor, Phemonoen, quam, Phœbum interrogaturus, liquerat, desertam meminit; interea, infelix sacerdos, templi fores « pectore » impulerat[2]; quam denique cadentem poeta pulcherrimis versibus prosequitur :

> Stat nunquam facies : rubor igneus inficit ora
> Liventesque genas : nec qui solet esse timenti,
> Terribilis sed pallor inest : nec fessa quiescunt
> Corda : sed, ut tumidus Boreæ post flamina pontus
> Rauca gemit, sic multa levant suspiria vatem[3].

Ad exitus optatos non pervectus est Lucanus, si carmen epicum scribere tentavit : propositum contra assecutus est, si auditoribus, qui miras inauditasque sententias imprimis probarent, gratam recitationem facere satis habuit. Hujusmodi auditores imprimis delectare debuit Sexti et Magæ colloquium.

§ 5. — *De Magis.*

Magicæ artes luculentam Lucano materiam commodabant. Istius modi portenta confidenter vel ab Epicureo narrari possunt : quis enim ignorat sæpe homines impios, spreta religione, tamen

1. V. 179.
2. V. 208-209.
3. V. 214-218.

superstitiones quasdam retinere? Ad hoc, magiam Romæ floruisse constat.

Quæ et qualis Romæ fuerit magia, non hic mihi fusius explicandum est; huic rei tamen, quæ ad celeberrimum Pharsaliæ locum pertineat, aliquantisper immorandum est.

Romani semper magicis artibus usi sunt, at, progredientibus annis, varia curantes, varia magos interrogaverunt.

In Duodecim Tabulis jam prohibentur magorum maleficia, quamvis tum non ita mala sint; eo tempore enim Romani, messibus suis solum consulunt, aut vicinorum segeti invident : inde Lex homini « qui fruges excantassit » minatur, « neve alienam segetem pellexeris » vetat[1]. Ad hoc, colonus, ad suspiciones, sicut semper et ubique fuerunt eruntque coloni, pronus, cavet ne quis villam ac gregem fascinet, hominemque « qui malum carmen incantassit » pœna mulctat[2].

Dein Magia accrescit : viris matronisque, futura noscendi studio oppre[illegible], oracula, auspicia et haruspicia non jam satis sunt : in locum sacerdotum magi succedunt; imprimis, ut noscatur quid post mortem nos maneat, adhibentur artes magicæ, inhumanæque; nam, quo facilius citiusque Tartari arcana patescant, servus occiditur, si C. Plinio credendum est[3].

1. Lex XII, Tab., apud Egger, *Latini sermonis reliquias*, p. 96.
2. *Ibid.*
3. « DCLVII demum anno Urbis, Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso coss., senatusconsultum factum est « ne homo immolaretur;

Postea, sive mores emendabantur, sive lex deteriora vetabat, mortuos ab inferis excitari Romani satis habuere : exempli gratia, Appius quidam, Ciceronis amicus, νεκρομαντεῖα, ut ait Tullius, faciebat[1].

Imperante Tiberio, Libo Drusus, genere principi propinquus, qui « moliri res novas[2] » credebatur, quum Junium quemdam, ut umbras evocaret, rogasset, accusatur[3]. Imo, jam tum Romæ, fascinatio quæ Gallice « *envoûtement* » dicitur, pollere intelligitur; inter crimina « stolida, vana, si mollius acciperes, miseranda » gravius crimen Druso infertur : « Uni tamen libello manu Libonis nominibus Cæsarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas accusator arguebat[4]. »

Sub Nerone, Petronius, omni remoto joco, narrat quemdam semetipsum in lupum mutasse, et, in stabulis, mortiferum vulnus ita accepisse[5]. Nero ipse, quem Lucanus in locum Apollinis Bacchique subrogat, utpote —

Satis ad dandas Romana in carmina vires[6],

palamque fuit in tempus illud sacri prodigiosi celebratio ». (C. Plinius, *Hist. nat.*, lib. XXX, cap. III.)

1. « Animos enim per se ipsos viventes non poterant mente complecti : formam aliquam figuramque quærebant. Inde Homeri tota νεκυια; inde ea quæ meus amicus Appius νεκρομαντεῖα faciebat. » (*Tuscul.*, lib. I, cap. XVI.)

2. Tacitus, *Ann.*, lib. II, cap. XXVII.

3. « Junius quidam, tentatus ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium tulit. » (*Ann.*, lib. II, cap. XXVIII; Cf. Boissier, *Relig. Rom.*, t. II, p. 188.)

4. *Ann.*, lib. II, cap. XXX.

5. *Satyricon*, LXII. Cf. Boissier, *ibid.*

6. *Pharsalia*, lib. I, v. 63-66.

Nero, si C. Plinio Secundo credimus, magicas artes citharæ etiam tragicisque cantibus antehabebat[1].

Magia igitur, cui et ipse princeps favebat, felicem canendi copiam Lucano suppeditabat. Cæterum, ante Lucanum, nonnulli jam poetæ magia usi fuerant. Quamvis enim Maro traditos ab antiquis vatibus mores ac deos plerumque servet, nova deorum ministeria in Æneide adhibentur : apparet numen ferum, quale in somnis ægrotantes vident, Alecto[2]. Tum primum quoque in epico carmine adhibentur magicæ artes[3].

Apud Flaccum, Canidia, non solum amantibus operam navat, verum et ipsa proprii commodi causa veneficiis suis utitur. Sæpius de Canidia et de magia loquitur Flaccus, quam ut omnes locos hic laudare queam[4].

Tragœdiam item ipsam istiusmodi superstitioni indulsisse constat : nam Menandri exemplum secuti[5], Medeæ, magarum celeberrimæ, veneficia

1. « Non citharæ tragicique cantus libido illi major fuit, fortuna rerum humanarum summa gestiente in profundis animi vitiis. Primumque imperare Diis concupivit, nec quidquam generosius voluit. Nemo unquam ulli artium validius favit. Adhæc non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, aliaque non patiente mundo. Immensum et indubitatum exemplum est falsæ artis, quam dereliquit Nero. » (*Hist. nat.*, lib. XXX, cap. VI.)

2. *Æneis*, lib. VII. v. 341-571.

3. *Æneis*, lib. IV, v. 483-491, 497-498, 509-516.

4. *Carmina*, lib. I, carm. XXVII, v. 21 ; lib. II, c. XIII, v. 8 ; *Epist.*, V et XVII ; *Sat.*, lib. I, s. VIII, v. 17-50 ; lib. II, s. I, v. 48 ; *Sat.* VIII, v. 95.

5. « Menander, litterarum subtilitati sine æmulo genitus, Thessalam cognominavit fabulam complexam ambages feminarum detrahentium lunam. » — Plinius, lib. XXX, cap. II (apud Orelli, Horatii interpretem, *Carmina*, lib. I, c. XXVII, v, 21, ad not.).

in tragœdia cecinerunt Ovidius[1], Seneca et Lucanus. Ovidii Lucanique opera deperdita sunt : Senecæ vero fabula, quamvis auditorio potius quam theatro apta sit, magicarum Romæ tragœdiarum, ut ita dicam, exemplum præbet[2].

Ne multa, magicas artes Romæ floruisse certum est, nec solum profanum vulgus, verum etiam poetas magiam adhibuisse. Monstratam viam Lucanus secutus est.

Hic vero haud lævam poetæ calliditatem attende : magica portenta non Romæ nec in Italia, sed in longinquis desertisque regionibus apparuisse narrat, scilicet majorem e longinquo fore reverentiam ratus.

Primum mirificum de Psyllis locum inspiciamus. Catonis exercitum, desertas Libyæ arenas transeuntem, serpentes, quales nusquam nisi in Pharsalia reperire licet, aggrediuntur; tum laborantibus Romanis opitulantur magicæ gentis miracula. Principio, ne venenum in venas diffundatur, circum vulneris marginem Psylli ungunt saliva,

1. Dicet aliquis : Ovidius magiam parvi faciebat :

> Fallitur, Hæmonias si quis decurrit ad artes,
> Datque quod a teneris fronte revellet equi.

(*Artis Amatoriæ*, lib. II, v. 99 sqq.) Cf. *Remedia Amoris*, v. 249-290. — Quid vero ? Nonne in ipsa *Arte Amatoria* suadet ut ad laborantem amicam ducatur maga,

> Et veniat quæ lustret anus lectumque locumque,
> Præferat et tremula sulphur et ova manu.
> (*Ibid.*, v. 329.)

Denique, nonne Medeam ipsam in epistola de magia disserentem inducit Ovidius ?

2. Mobilia etiam pegmata hujusmodi tragœdiis necessaria fuisse demonstrat quartus *Medeæ* actus apud Senecam.

Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere pestem [1].

Dein, miram inauditamque sanandi rationem! non magicas herbas ulceri adhibent, sed carminibus venenum fugant; virus vero tanta effunditur velocitate ut Psyllus, si, respirandi causa, paulisper finem cantandi faceret, ab hoste [2] vinceretur :

Plurima tum volvit spumanti carmina lingua,
Murmure continuo [3].

Interdum vero carmina non valent, præsertim adversus *surda* venena; « *si quod tardius audit Virus* [4] », tum demum Psyllus venenum eximit suctu.

At, ne in lectoris memoriam reducatur Flacci versus,

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus,

Lucanus mirificas res excogitat : Psyllus non vulgari more venenum sugit, sed

Siccat dentibus artus [5].

1. Lucanus quidem non nova inauditaque excogitat : famam sequitur. Etenim, C. Plinius Secundus quædam multo mirabiliora in Historia Naturali narrat : « Omnibus hominibus contra serpentes inest venenum; feruntque ictos saliva, ut ferventis aquæ contactum fugere. » (Lib. VII, cap. II, § 67.) Imo hujusmodi vim præcipue Psyllis inesse memorat : « Similis et in Africa gens Psyllorum fuit, ut Agatharchides scribit, a Psyllo rege dicta..... Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus, et cujus odore sopirent eas. » (*Ibid.*, § 5-6.) Nec traditas ab aliis fabulas C. Plinius refert : ipse Psyllos vidit, candidiorque miratur circulatorum horum prodigia : « Sunt et *ranis* venena, *rubetis* maxime; vidimusque Psyllos in certamine patinis candefactas admittentes, ocyore etiam quam aspidum pernicie. » (Lib. XXV, cap. VII, § 6.)

2. Psyllorumque ingens et rapti pugna veneni. (Lib. IX, v. 924.)

3. Lib. IX, v. 927.

4. V. 931.

5. V. 934.

Dein, antequam virus exspuat, cujus serpentis sit, gustu explorat[1].

Si Pæan vel Asclepius homini serpentis dente læso medentes memorandi fuissent, Lucanus certe mediocrem horum remediis fidem adhibuisset : dummodo vero de humanis artibus, nec de divina ope, agatur, poeta portenta quælibet, omni remota dubitatione, amplificabit, imprimisque magarum artes.

Hic genio indulget Annæus. Sibyllam, vel Græcam, describenti, verba circumspicienda sunt. Thessaliæ vero monstra quum narrantur, ingenii frenos laxare licet. Sextus

> Non tripodas Deli, non Pythia consulit antra,
> Nec quæsisse libet, primis quid frugibus altrix
> Ære Jovis Dodona sonet, quis noscere fibra
> Fata queat, etc.[2].

Id est, publica sacraque oracula non consulit : pluris facit arcana Magorum, imprimisque magarum Thessalarum. Thessalia enim magarum patria est : reputabam, ait Apuleius, « me media Thessaliæ loca tenere, quo artis magicæ nativa cantamina totius orbis consono ore celebrantur; nec fuit in illa civitate quod aspiciens crederem id

1. Cujus morsus superaverit anguis,
Jam promptum Psyllis vel gustu nosse venenum.
(V. 936.)
Cæterum Lucano non plus æquo irridendum est; eadem fere narrat poeta, quæ C. Plinius, historiam naturalem scribens; mirabiliora etiam adversus anguium morsus remedia ibi reperiuntur : « Quin etiam, si quis asino, in aurem percussum a scorpione se dicat, transire malum protinus tradunt. » (*Hist. nat.*, lib. XXVIII, cap. XLII, § 6.)

2. Lib. VI, v. 425 sqq.

esse quod esset; sed omnia prorsus ferali murmure in aliam effigiem translata; ut et lapides quos offenderem, de homine duratos, et aves quas audirem indidem plumatas, etc.[1] ».

Hic magam celeberrimam incolere nos monet poeta. Verum, utpote versutus declamator, non committit ut argumentum, quod tractaturus sit, statim aggrediatur : at supervacaneum de Hæmoniarum artibus excursum primum affert. Diis antiquam potestatem rapuerunt Thessalæ magæ :

> Axibus et rapidis impulsos Jupiter urgens
> Miratur non ire polos[2].

Imo, e manibus Omnipotentis eripitur fulmen,

> Et tonat ignaro cœlum Jove[3].

Quamvis sæviat hiems, nives, sole nullo, solvuntur[4] :

> Ventis cessantibus, æquor
> Intumuit : rursus vetitum sentire procellas
> Conticuit, turbante Noto[5].

Postquam hæc atque talia alia narravit, Lucanus stupet, partesque, quas agendas diis ipse dedit, miratur, et exclamat :

> Quis labor hic Superis cantusque herbasque sequendi,
> Spernendique timor? cujus commercia pacti
> Obstrictos habuere deos? parere necesse est,
> An juvat[6]?

1. *Metamorphoseon*, II, 1.
2. Lib. VI, v. 464-465.
3. V. 467.
4. V. 478.
5. V. 469-471.
6. V. 492-495.

Laboris hujus causas affert multas, nullam vero potiorem eligere audet, nec potest; dum orationem fusius explicat, probabilia nullo modo curat: subitum vero facit finem, et sese incredibilia narrare fatetur: dein, sic metu levatus, iter inceptum pergit.

Quidquid adhuc vidimus parvi faciendum est; magæ, quas juvat molestas esse diis, ridendam omnipotenti personam imposuere; nunc lectori tremendum est.

Hos scelerum ritus, hæc diræ carmina gentis
Effera damnarat nimiæ pietatis Erichto,
Inque novos ritus pollutam duxerat artem[1].

Sepulcra incolit[2], cadavera vorat, cadaveribus vero crematis, corpora anteponit quæ

... Servantur saxis, quibus intimus humor
Ducitur, et tracta durescunt tabe medullæ[3].
... Pendentia corpora carpsit,
Abrasitque cruces, percussaque viscera nimbis
Vulsit, et incoctas admisso sole medullas:
... Nervo morsus retinente, pependit[4]

Delectabilior tandem cibus:

... Nec carpere membra
Vult ferro manibusque suis, morsusque luporum
Exspectat, siccis raptura e faucibus artus[5].

Maga non horrorem, ad quem adspirabat Lu-

1. Lib. VI, v. 507-509.
2. V. 511-512.
3. V. 538-539.
4. V. 544-549.
5. V. 552-553.

canus, legenti affert, sed fastidium. Longius, ut semper, poeta procedit : simul ac locum amplificare cœpit, fertur in spatia ; verbum notum materiæque consentaneum si forte memoriæ occurrit, Lucanus extemplo arripit, ac suum facit : apud Flaccum, Canidia furens proprios ungues rodit :

Hic irresectum sæva dente livido
Canidia rodens pollicem [1].

Erichto, cadaverum ungues suis antehabet,

Et siccæ pallida rodit
Excrementa manus [2].

In Æneide, Deiphobe « non mortale sonat [3] » ; Thessala vero murmur emittit, in quo audiuntur simul latratus canum, gemitus luporum, trepidi bubonis nocturnæque strigis querelæ, ferarum ululatus, serpentum sibila, undæ cautibus illisæ planctus, silvarum sonus, etc. :

Tot rerum vox una fuit [4] !

Hujusmodi discors symphonia nil nisi præcentio est : incipiunt demum incantamenta.

Inferorum sacerdos suos deos invocat, et, quibus meritis ineundi cum iis societatem jus sibi paraverit, memorat : nunquam precibus usa est, « fibris humanis jejuna [5] » ; mactavit feminas prægnantes, fœtusque alvo extractos, ac calido cere-

1. *Epodon*, V, v. 47-68.
2. Lib. VI, v. 542.
3. Lib. VI, v. 50.
4. Lib. VI, v. 688-693.
5. V, 707.

bro sparsos[1]; denique « satis ore nefando pollutoque[2] » vocat deos. — Dii silent : Charon, credo, lassatus est « jam tot redeuntibus umbris[3] ». Tum furibunda, miransque cessare Tisiphonem vel Megæram,

> Verberat immotum vivo serpente cadaver ;
> Perque cavas terræ, quas egit carmine, rimas
> Manibus illatrat, regnique silentia rumpit[4].

Tum perficitur cantio, surgitque cadaver redivivum, certiora ac lucidiora oraculis responsa daturum[5]. Benigne a maga acceptum, cadaver narrat inferos conturbari, bonos cives lugere, gaudere vero malos; Campos Elysios sibi poscunt vulgi turbatores, dum mussant optimates : Pluto, nedum turbatas seditione res componat,

> Pallentes aperit sedes, abruptaque saxa
> Asperat, et durum vinclis adamanta, paratque
> Pœnam victori[6].

Inde patet poetam non succedere, quoties epicos mores resumere, et antiquam Homeri Virgiliique rationem servare tentet, quoties, exempli gratia, notos inferos ipse quoque rursus describat. Nonne tamen moveri lectoris animus posset, si diutius apparerent magnæ virorum bellum civile

1. V. 708-711.
2. V. 706.
3. V. 705.
4. V. 727-729.
5. Tripodas, vatesque deorum
   Sors obscura docet : certus discedat ab umbris
   Quisquis vera petit, duræque oracula Mortis
   Fortis adit... (Lib. VI, v. 770-773.)
6. Lib. VI, v. 799-802.

lugentium umbræ? Verum cadaver, postquam Sexto futura fata invidit[1], ac Manes Pompeio in Campis Elysiis locum servare mentitus est[2], ut supra vidimus, novum in funeribus spectaculum præbet, et

Venit defunctus ad ignes[3].

Quorsum igitur pertinuit omnis hic de magicis artibus locus? Semper se eumdem in omni Pharsalia præbet Lucanus : sive inter se repugnantia confert, seu jucundo procemio ridiculum dat finem, nunquam integra puraque voluptas legentis animum mulcet.

1. V. 812-814.
2. V. 803-804.
3. V. 825.

CAPUT V

QUID DE DEORUM IN PHARSALIA MINISTERIIS SENSERINT ROMANI.

Hæc de Lucano nunc sentimus, divinamque imprimis partem, ut ita dicam, in Pharsalia non magni facimus. Num vero Romani, Neronis æquales, Iliados aut Æneidis numina, perlecta Pharsalia, desiderabant? Non ad litteras solum spectat hujusmodi indagatio : Pharsalia enim nos religionis romanæ, vivo Nerone, auctoritatem docet : utrum enim Romani tunc pietatem antiquam adhuc servent, necne, indicabit impii poematis prospera fortuna, aut repulsa : porro neminem tunc spretæ a Lucano religionis causam adversus poetam dixisse certum est.

Nam, si prius posteriora Romanorum de Pharsalia judicia, dein æqualia Lucano testimonia interpretari licet, operæ pretium est animadvertere Papinium Statium, quamvis religioni potiusquam impietati studeat, et græcas romanasque fabulas sæpius decantet, tamen in Lucani Genesi, non solum non vituperare, verum etiam ne ulla quidem correctione adhibita Annæum laudare[1].

1. « Ego non potui majorem tanti auctoris habere reverentiam,

Haud aliter Tacitus, quippe qui cæterum dè animi immortalitate eadem fere sentiat quæ Lucanus[1]; fatetur etiam poetam, quamvis turpiter perierit[2], gentem suam tamen haud dedecorasse : « Idem (Mela) Annæum Lucanum genuerat, grande adjumentum claritudinis[3]..» Martialem quoque laudes Lucani sæpe prædicasse omnes norunt; quanquam Valerii judicia parvi æstimanda sunt, gravissimum tamen de prospera Pharsaliæ fortuna testimonium excerpam :

Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam,
Sed, qui me vendit, bibliopola putat[4].

His quidem annumerandus est Quintilianus : hujus autem grammatici judicio[5], quod mihi hic non pensitandum est, leviter castigari Lucani ingenium, Lucani vero impietatem, nedum reprehendatur, ne significari quidem patet[6].

Denique, ut in enumeratione nemo prætereatur,

quam quod laudes ejus dicturus, Hexametris meis timui. » Præf. ad *Silv.*, lib. II.)

1. « Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore exstinguuntur magnæ animæ. » (*Vita Agricolæ*, cap. XLVI.)

2. *Ann.*, lib. XV, cap. LVI et LVII.

3. *Ann.*, lib. XVI, cap. XVII. — « Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex Horatii, et Virgilii, et Lucani sacrario prolatus, » ait (*Dialogus de oratoribus*, cap. XX). Aper « communi eruditione imbutus ». (*Ibid.*, cap. II.)

4. *Epigr.*, lib. XIV, ep. 194.

5. « Lucanus, ardens et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis adnumerandus. » (*Instit. orat.*, lib. X, cap. I.)

6. Cæterum Quintilianus suam Lucano impietatem crimini vertere non poterat quippe qui, mortuo filio, scripserit : « Quis... mihi bonus parens ignoscat,.... si quis in me est alius usus vocis, quam ut incusem deos, superstes omnium meorum? nullam terras despicere providentiam tester? » (*Instit. orat.*, libri sexti proœmium.)

ipse Juvenalis Lucanum non male apud æquales audisse, tantum non invidus, indicat :

> Contentus fama, jaceat Lucanus in hortis
> Marmoreis[1].

At enim, apud Petronium, hæc leguntur : « Belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt ; sed per ambages, deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum torrentem, præcipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides[2]. »

Ex his apparet, si gravissimo credimus judici, Lucanum a Petronio peti, ac per ambages reprehendi ob incredulitatem[3]. Si monstrata via deerrare tironi licet, Lucanum hic manifeste notari non intelligo.

Fatebor equidem Lucanum historiæ potius quam poesi studuisse, et ideo poetam, utpote veritatis historicæ nimis studiosum, a Petronio jure vituperari posse, si hujus loci subobscuri « religiosæ orationis sub testibus fidem » vim rite interpretor. Servius enim, in adnotatione ad versum primi Æneidos libri CCCLXXXII ait : « Hoc loco per transitum tangit (Virgilius) historiam, quam

1. *Sat.*, VII, v. 80.
2. Petronius, *Satyricon*, cap. CXVIII.
3. G. Boissier, *L'opposition sous les Césars*, chap. V, § 2.

per legem artis poeticæ aperte non potest ponere... quod autem diximus eum poetica arte prohiberi ne aperte ponat historiam, certum est. Lucanus ideo in numerum poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, nec poema. »

Verum nonne Lucanus litteris plenus est? Nonne furit animus Lucani, et vaticinatur? — Atenim deorum ministeria desunt. — Quid vero? num ipse, apud Satyricon, adhibuit deorum ministeria Arbiter? Turpes deos invocat Encolpius, quos ne in latina lingua quidem, quamvis inverecunda dicatur, memorabo. Jam nostras quidem judex, etsi ipse parcus deorum cultor, deos nunquam apparere apud Petronium, lectorem monuit[1]. Quales vero dii in ipso de Bello civili carmine appareant, posterius indicabo.

Judicis tamen, quem supra indicavi, in sententiam descenderem, si nullum aliud apud Arbitrum reperiretur carmen : verum tria sunt poemata : primum Trojæ Halosis[2] in quo Petronium Virgilio æmulari, et notissimum locum[3] iterum tractare, quis negare posset; dein brevius carmen, in quo memoratur Epicuri de somniis doctrina[4]; nec Epicurus parvi facitur, qui homo divinus nominetur; notissimum Lucretii de somniis locum[5] Petronium simul et amputare et imitari

1. Saint-Evremond, *Etude sur Pétrone*, chap. II.
2. Cap. LXXXIX.
3. *Æneis*, lib. II, v. 13-245.
4. Cap. CIV.
5. Lib. IV, v. 962, sqq.

jamdiu notatum est. Denique multo copiosius de Bello civili carmen reperitur.

Quid vero? Nonne nunc animadvertis Petronium Lucretio, Virgilio, Lucano æmulari, et, quo quisque sit Petronii temporibus propior, eo confidentius provocari? Nec mirum : majorem e longinquo reverentiam nemo ignorat.

Scholastici ergo operis monumentum hic habemus rarissimum, quod quædam Plinii epistola usitatum fuisse Romæ declarat : « Nihil obfuerit, quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare quid tu, quid ille commodius : magna gratulatio, si nonnulla tu ; magnus pudor si cuncta ille melius. *Licebit interdum et notissima eligere, et certare cum electis.* Audax hæc, non tamen improba, quia secreta, contentio : *Quamquam multos videmus ejusmodi certamina sibi cum multa laude sumpsisse, quosque subsequi sat habebant, dum non desperant, antecessisse*[1]. »

At enim, Petronius declamatores minimi facit, ac adversus illos ipse declamat[2] : poesim vero vix indicat[3]. Imo poetas sæpius aggreditur, et tamen versus scribit[4].

Cæterum de his ambigere licet. Utrum vero Lucano æmulatus sit, an Pharsaliam in melius

1. *Epistolæ*, lib. VII, ep. 9.
2. Cap. I et II.
3. « ... Ac ne carmen quidem sani coloris enituit. » (Cap. II.)
4. Cap. XC, XCII, XCIII.

mutare tentaverit, non diu dubius anquires, si de Bello civili carmen attente persequeris.

Imprimis, Petronius Lucani numerum imitatur :

Horrida tellus
Extulit in lucem nutritas sanguine fruges[1].

Nonne vel ista Lucanus pepigisse videtur, vel hoc :

Vincendo certior exul[2].

Nec numerum solum, de quo disputare liceret, verum sententias ipsas a Lucano mutuas sumit :

Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virum traducere cymba ;
Classe opus est[3].

Nonne hic Petronii memoriæ occurrebat Lucani versus, jam supra laudatus :

Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor[4].

Apparent quoque auguria, jam a Lucano excogitata : novum quidem additur, at congener :

Ipse nitor Phœbi, vulgato latior orbe
Crevit[5].

Fugiunt dii, terramque relinquunt[6]; in quorum locum subeunt Fortuna[7], velut apud Lucanum,

1. Cap. cxx, v. 98-99.
2. Cap. cxxii, v. 162.
3. Cap. cxxi, v. 118-120.
4. *Phars.*, lib. III, v. 16.
5. Cap. cxxii, v. 181.
6. Cap. cxxiv.
7. Cap. cxxi.

Plutoque, qui

> Extulit ora
> Bustorum flammis et cana sparsa favilla[1],

qualem horrere debuit in Pharsalia Alcides[2]; denique

> ... Emergit late Ditis chorus : horrida Erinnys
> Et Bellona minax, facibusque armata Megæra;
> Letumque, Insidiæque, et lurida Mortis imago!
> Quas inter Furor, abruptis seu liber habenis,
> Sanguineum late tollit caput...
>
> Scisso Discordia crine
> Extulit ad Superos Stygium caput. Hujus in ore
> Concretus sanguis, contusaque lumina flebant:
> Stabant ærati scabra rubigine dentes,
> Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora[3].

Nonne hæc atque talia alia apud Lucanum invenimus? Hoc unum tantum fatebor : propriis de Lucani artibus melior artifex evadit Petronius : hujus Discordiæ vel ipsa Erichto cedit. Bonus Plinius hic Petronio gratularetur.

Ad hoc, hanc diversitatem reperiri concedam : apud Arbitrum, Cæsar primas tenet.

Si vero desunt apud Lucanum « deorum ministeria » desunt et apud Petronium. — At deest « fabulosus sententiarum torrens ». — Lucanus, hæc Eumolpi verba[4] si legisset, non ad Pharsaliam hujusmodi vituperationem pertinere credi-

1. Cap. CXX, v. 76-77.
2. *Phars.*, lib. I, v. 577.
3. Cap. CXXIV, v. 255 sqq., v. 271 sqq.
4. Cap. CXVIII.

disset, quippe qui (ut supra vidimus) fabulæ inimicos ipse reprehendat. Petronius igitur Lucani non castigator sed æmulus videtur. Ex quo confici potest litteratorum virorum neminem Lucano incredulitatem, et inania deorum ministeria exprobrasse.

CAPUT VI

CONCLUDITUR

Quidquid de rebus divinis Lucanus somniaverit, infestiore fortasse animo persecutus sum. Semel saltem Annæum eadem chorda non oberravisse fatebor. Tempore quo Romanis bellum civile imminet, matrona, numine quodam instincta, Romam pervagatur, futurumque bellum nuntiat. Lucanus (mirum!) non lectorem monet huic mulieri malesanæ opus esse helleboro tribusque Anticyris : incredulitatis oblitus suæ, Lucanus fit poeta, imo vates :

Quo feror, o Pæan? Qua me super Æthera raptam
Constituis terra? video Pangæa nivosis
Cana jugis...

... Totumque per orbem
Rursus eo. Nova da mihi cernere litora ponti,
Telluremque novam : vidi jam, Phœbe, Philippos [1].

In his versibus, vere Virgilianis, Lucanus sincero puroque affectu movetur. Quolibet alio in loco, pectus poetæ friget, mens sola effervescit. Fabulas narrat primum, dein ridet; deos evocat,

1. Lib. I, v. 678-694.

deinde vocat in jus; omnia fato fieri credit, et tamen diis humana regentibus imprecatur. Carmen ipsum relinquit, ut excursus scribat, heroum istorum more qui in Senecæ tragœdiis, auditorum immemores, propriæ voluptatis causa immodicas narrationes facere videntur.

Senecæ præcepta plurimum apud Lucanum valuisse fatendum est, nec solum philosophandi verum etiam scribendi artem a patruo traditam fratris filio fuisse[1]. Verum utrum gratias magistro agere discipulus debuerit, necne, incertum est; vel potius Lucanus animi non dotes sed vitia accepta referre Senecæ potest. Quomodo enim Seneca Lucani mentem tractaverit et rexerit, suspicari possumus. Quod sciam, nusquam in philosophi operibus poetæ cognomen reperias; nullum ad Lucanum librum novi, nec, quamvis plures de regendis animi viribus libellos scripserit Seneca, ullum, quod Lucani moribus aptum sit, volumen invenio; sed, quoniam ambo de gravissimis rebus, scilicet de diis animoque, eadem sentiunt, apparet Senecam non publicam exotericamque doctrinam, sed familiarem acroaticamque disciplinam fratris

1. Hac de re gravi judicio non plane assentior : Lucanum non privatam Senecæ elocutionem imitatum esse, sed solitum Stoicorum sermonem declarat judex a quo multa mutuatus sum : « Ce défaut tient encore plus à une mode littéraire qu'à l'esprit de Sénèque. Nous voyons que toute la littérature de l'Empire est Stoïcienne, etc. » (*Les moralistes sous l'Empire romain*, p. 95.) Ad hunc modum, Lucanus, quoniam Stoicorum doctrinam secutus sit, Stoicum quoque dicendi genus imitari debuit? Argumentum probo, sed parce detortum : peculiarem Senecæ hæresim persecutus est Marcus, ergo et peculiarem Senecæ elocutionem.

filio tradidisse. Verum, quantacumque fuerit philosophi erga Marcum sedulitas, Lucanum apud pessimum (etsi cæteros docendi peritum) magistrum didicisse profitebor vel, si plus placet, poetam pessimum discipulum fuisse : nam nec Senecam, nec Lucanum criminari mihi in animo est : hocce tantummodo confirmabo poetam philosophumque, circa ingenium animique dotes, adeo repugnare ut quidquid huic sit aptum, ab illo omnino alienum sit, ut quidquid apud magistrum sit bonum extemplo, si discipulo tradatur, vitietur.

Variis enim animi dotibus excellit Seneca, imprimis vero urbano, imo recentiore ingenii acumine; mira fretus mentis acie, doctrinam mediam excogitavit, ab enormibus Stoicorum somniis reductam simul, et ab humiliore Epicuri philosophia. Hujusmodi homines temperati nihil mirantur, nec quid in cujuslibet philosophi præceptis bonum sit, verum quid sit pravum, facilius dispiciunt; veritatem non in contrariarum ac arduarum doctrinarum alterutra investigant, verum medium ambarum et utrinque reductum sequuntur : his abrupta non placent, sed valles. Hujusmodi cohorti adscriptus Seneca, gravissimis de rebus raro firmam opinionem præ se fert. Exempli gratia deos existere non credit; utrum vero Deus humanas res curet necne, seipsum interrogat : jam in eo est ut Deo credat, verum hujusmodi de re nunquam æstuat, nec vehementius solito dicit.

Lucanus contra vallem, quam sequitur Seneca, omnino fastidit : nunc Stoicorum arcem, nunc Epicureorum collem ascendit; vividiore, quam ut contraria Zenonis Epicurique præcepta componere possit, ingenio rapitur; imprimis vero placidam quietamque Senecæ urbanitatem ignorat; sententiam quamdam, in Vita poetæ quæ in Suetonium confertur, traditam ne proferre quidem auderem : Lucano atticismum defuisse manifestum est : imo nonne istiusmodi facetiæ italo aceto acriores sunt[1]?

Torrenti poetæ ingenio obsistendum erat : animi extra ripas ut ita dicam diffluentis, ac curiose coercendi, curator pessimus fuit Seneca, facilior ac subtilior magister. Lucano, ut eximias mentis facultates proferret, opus erat pædagogo rigidiore, habenas non remittente, sed adducente, scilicet Cornuto, cujus domum rarius Noster frequentavit, sæpissime vero Lucani æmulus, Persius[2]. Quanti momenti ad informandum vatem valeat magister, declarant simul et Lucanus et Persius : hic, quidem, minor ingenio, versus parum claros, quamvis incudi sæpius reddantur, operose fabricatur, dum apud illum fluunt carmina sententiosa; Persius tamen Lucano præstat hac de re : secum constat, stoicæ disciplinæ tenorem servat.

Ut Senecæ Lucilio « time hominem unius li-

1. Cf. Martialis *Epigr.*, X, 64, v. 6.
2. « Per Cornutum cognovit Annæum etiam Lucanum, æquævum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore tragicus fuit, sectæ stoicæ, qui libros philosophiæ reliquit. » (*Vita Persii.*)

bri » scribentis sententiam mutuer, primas tenuisset Lucanus, si merito « homo unius doctrinæ » dici potuisset. Longissime processere (mutatis mutandis) et Lucretius, unius Epicuri vestigiis instans, et Persius, monstratum a Zenone iter insistens; Lucanus, incertus viæ, citra stat. Hujusmodi homines, fluitante præditi ingenio, in minoribus poeseos artibus rem non male gerunt; epos vero si tentant pangere, ampullantur; singula quædam perficiunt, infelices operis summa : sic « ponere totum » nescit Lucanus.

In summa, poeta deos Pharsalia tantum non pellit, atqui epica horum ministeria servare conatur. Apud eum, diis bonis non jam creditur, creditur adhuc malis. In locum Sibyllæ, deorum interpretis, succedit maga Thessala, quæ fata ipsa regit. Oracula despiciuntur deseruntürque. Sapientes, Catonis modo, templa, in quibus non jam numen, sed dei statua tantum reperiatur, non intrant.

Pietatem excussit totam Lucanus. Vanas vulgi religiones, Stoicorum Epicureorumque doctrinas temere miscet : inde secum ipse discors poeta opus simplex et unum cóndere non potuit. Epos et historia, philosophia ac religio ibi luctantur; inde fit ut epos minuatur, historia ac religio evanescant, supersit solum philosophia : nec Epicureum nec Stoicum, sed impium opus sic conflatum est. Felicem Lucanum, si vel Epicuri, vel Zenonis doctrinam persecutus esset, nec modo in hujus modo

in illius verba jurasset : feliciorem, opinor, si totus in stoicam disciplinam incubuisset.

Nos vero, Pharsaliæ, quamvis mendosa sit, aliquid gratiæ debemus : nam perlecto Lucani poemate, hocce argumentum colligere possumus : Romæ, vergente principum imperio, novi nec pauci apparent philosophi, qui, quadam adhuc superstitione imbuti, et philosophica jurgia exosi, Epicuri de diis doctrinam, Zenonisque de moribus præcepta, simul sequuntur.

Vidi ac perlegi, Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIII kal. sept. ann. MDCCCLXXXV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis Rector,
Pour le Vice-Recteur, l'Inspecteur de l'Académie,
V. DUPRÉ.

INDEX

4722 — BOURLOTON. — Imprimeries réunies, A, rue Mignon, 2, Paris.